



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

Liber II. De paupertate religiosa inviolata servanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)



LIBER II.

*De Paupertate Religiosa inuio-
lata seruanda.*

CAPUT I.

De Virtute Paupertate.

Q 1. Quotuplex sit paupertas. *R.* cum *S. Bonav.* in Ecclesiasten, quòd sit triplex, *Prima ex complacentia*; quâ quis paupertatem in effectu & affectu diligit & eligit: estque voluntaria, ac perfectionis, & felicitatis. *Secunda ex tolerantia*; quâ quis patienter tolerat egestatem à Deo immissam, vel ex fortunæ invidia obvenientem; qua tamen mallet carere. Hæc, quia est necessitatis, est sæpe involuntaria, & imperfectionis. *Tertia cum impatientia*; quâ quis inuitus, querulando, & murmurando fert inopiam: hæcque est coacta, contradictionis, & magnæ infelicitatis. De his

Q. 2. Quænam ex his tribus sit virtus. *R.* Quòd sola paupertas ex complacentia; utpote cui adaptatur sententia *S. Bern.* Epist. 100. *non paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amor: nam beati pauperes non rebus, sed spiritu.* De hujus felicitate idem *S. Bern.* serm. 8. in psal. *Qui habitat: felix*

lix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & sequentium te, Domine Iesu! Felix planè, quæ tam securos, immò tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum. Idem epist. 24. ad Magist. Gilbertum: Pauperiem equo animo ferre, virtus patientiæ est; spontè appetere, sapientiæ laus est. h. i.

De secunda paupertate, quæ est ex sola tolerantia, loquitur idem S. Bern. serm. 4. de adventu Domini: *Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeò pusillanimes efficerentur & tristes. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patientur. h. i.* Et his displicet sua inopia seu paupertas, quæ proinde virtus esse nequit, quia onus est, quod premit non eligentem.

De tertia paupertate, quæ est, cum impatientia, loquitur S. Bern. in Apolog. ad Guiliel. Abb. *Va semel & va iterum pauperibus superbis! va, inquam, semel & iterum, portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum: sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloria non sequuntur. h. i.* Tales sunt Religiosi, qui quidem exterius egent rebus, at interiùs abundant concupiscentiis plura habendi, si habere possent: gloriantur pauperum nomine, sed non omine: pauperes volunt dici, sed non esse.

Q. 3. Quotuplex sit gradus paupertatis. R. ex eruditiss. H. Harphio Ord. Minor. l. 2. Theolg. Mysticæ c. 1. quòd sit triplex, 1. est paupertas professionis;

fionis ; vi cuius aliquis tenetur non habere proprium , usumve rerum terrenarum independentem. Hæc præcisè sumpta potest esse imperfectio- nibus mixta , v. g. superfluitatis , Cupiditatis , & inordinatæ complacentiæ *Secundus* , est *paupertas usus* temporalium rerum ; convenitque iis , qui nihil desiderant , nisi quod est eis de justa necessitate : dolentque de superfluis , pretiosis , vanis , ac curiosis. *Tertius* est *paupertas affectionis* ; quâ quis adeò ex corde radicatus excludit affectum ad temporalia , ut etiam necessaria naturæ subsidia cum tædio admittat. Ex his tribus gradibus *completa virtus* , quæ dicitur *paupertas* , consurgit. De qua

Q. 4. Quænam dicatur *paupertas heroica*. *R.* cum *Antonio à Spiritu S. Carmel. Discal. sect. 12.* de exercitio *paupert. heroicæ* , quòd sit illa , quæ ultra abdicationem cuiuscumque juris proprietatis , usum qualiumcumque rerum non necessariarum , immò & subinde necessariarum , cum affectu ad illa omnimodè excludit , & vix necessaria admittit. Talis revera fuit in *S. P. N. Francisco* , utpotè qui generoso & heroico affectu non solum quæcumque reliquit , sed repudiavit , & conculcavit , & ut stercora reputavit , hac intentione (c. 7. vitæ) *ut tali expropriatus possessione , introiret in potentias Domini , & nudum se offerret brachiis Crucifixi* - *Nemo tam auri : quàm ipse cupidus paupertatis : nec thesauri custodiendi sollicitior nullus , quàm iste hujus evangelica margarite*. *Cocta cibaria vix tempore sanitatis admittebat : eaque vel infusione aquæ reddebat insipida , vel aspersio-*

spersione cineris reddebat amara. Lacerò, attritoque habitu tegebatur: in quo argentem videns frater ejus, irrisit eum, mittensque petebat ab eo sibi guttulam sudoris transmitti: cui *servus Dei Franciscus* renuntiat, se nobiliori emptori carissimò pretiò vendidisse, scil. Deo pro mercede æternali. Curiosa, superflua in vestimentis, in cellis nequaquam toleravit: somni paucissimi fuit: maximum tempus anni jejunando transegit &c. Tam pauper, tam parcus, tam arctus, tantus sui corporis hostis, ut viventem martyrem diceres, aut mortuo similiorem crederes!

CAPUT II.

De Paupertate spiritus, ejusque natura.

Q. 1. Qualem, & quotuplicem sensum habeat hæc vox *spiritu*, dum dicitur, *Beati pauperes spiritu*. **R. 1.** Quòd habeat duplicem sensum, i. ut *negativè* explicetur de carentia spiritus non boni. De quo *S. Bonav.* in versum Pl. 73. *Pauper, & inops laudabunt nomen tuum*, ait: *pauper spiritu, qui habet parum de spiritibus, de spiritu carnis, mundi, & demoniorum. Qui tamen habet spiritum Dei, ille non est pauper spiritu, sicut div. dicitur, qui habet multas divitias.* Pariformiter explicat *S. August.* de serm. Domini in monte, dum inquit: *quapropter rectè hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit: noli altum sapere, sed time, id est, noli extolli, h. i.*

Secun-

Secundus sensus explicat *positivè*: quo uritur S. Bern. 1. serm. de omnibus SS. dum inquit: *Quid enim tam absconditum, quam paupertatem esse beatam? sed diligenter attende, quòd non simpliciter pauperes nominat-- beati verò pauperes spiritu, spiritali scilicet intentione, desiderio spiritali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem; quoniam ipsorum est regnum calorum. h. i.*

Insuper S. Bonav. in Pl. 8. *Divites spiritu Dei sunt pauperes rebus propriis, divites rebus communibus. h. i.* è contra (ut ait S. August.) *divites nummo sæpe sunt pauperes Deo, id est, nummum possidentes, Deo carentes.*

R. 2. De hoc spiritu paupertatis locutus fuit S. Bonav. vit. S. P. N. Francisci c. 1. n. 6. dum dicit: post amorosam & dolorosam Christi crucifixi apparitionem sibi factam, *servus Dei Franciscus induit ex tunc spiritum paupertatis: id est, ex affectu tam tenero, tam serio, tam cordiali eligebat esse pauper, ut affectu paupertatis evangelicæ tamquam interulâ, aut ut galeâ indueretur, & muniretur.* Et, quia (ut ait Luc. Pinel. lib. de perfect.) *sine spiritu spiritualia non diliguntur;* hinc intimo spiritu spiritûs hanc paupertatem amplexabatur amans. Ex cujus spiritus inopia torum venit, quòd perrarò *spiritûs paupertas* ametur, quantumvis in Evangelio tantopere inculcata, juxta illud l. 1. imit. c. 1. n. 2. *Multi ex frequenti auditu Evangelii parvum desiderium sentiunt, quia spiritum Christi non habent. h. i.*

Q. 2. An paupertas voluntaria, seu spiritûs potuerit, & adhucdum possit haberi absque voto pauper

paupertatis. *R. affirmative* cum cit. *Harphio*, cu-
jus hæc sunt verba. Qui omnia bona sua perfectè
relinquere valet quieto corde in Dei beneplacitum,
sive ea ab eo auferat, sive conseruet; nec illis uti
vult nisi ad suam necessitatem, & majorem ho-
norem Dei, atque beneplacitum ejus, secundùm
omnem suum intellectum, & consideratis statu
suo, conditione, natura, aliisque, si sciret Deo
magis placere, ut omnia sua venderet, daretque
pauperibus, ad hoc paratus esset; ille habet per-
fectè voluntariam paupertatem. Quia Deus non
desiderat in tantùm exteriorem temporalium re-
rum paupertatem, quantum interiorem in abstra-
ctione affectuum, & occupationum; quia hæc est
essentia, & forma veræ paupertatis. *h. i.*

Q. 3. An, sicut paupertas inter virtutes
(in suo genere, juxta dictum *S. Ambrosii* mox ci-
tandi) est prima primitate generationis, sic & sit
prima primitate perfectionis, id est, dignior sit
perfectio *spiritûs* hæc paupertas *spiritûs*.

R. i. Negative, Nam, sicut ex *D. Th. & aliis*
DD. notat *Harphius* lc. perfectio non consistit
essentialiter in paupertate, nec in tribus votis re-
gularibus simul sumptis; sed potiùs in sequela
Christi secundùm virtutes altiores internas, maxi-
mè theologicas, & potissimùm charitatem; à qua
nisi paupertas sit formata, manebit præmio or-
bata. Itaque ex eo, quòd Christus absolutè do-
cuerit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia,*
que habes, & da pauperibus, & sequere me. Matth.
19. tantùm hoc sequitur, quòd voluntaria pau-
pertas, & alia vota sint instrumenta, adjumenta,

& exercitia conducentia , ad commodius , velocius , securius , & excellentius assequendum perfectionem evangelicam. Paupertas enim deponit impedimentum perfectionis , scil. amorem inordinatum , ac curam rerum temporalium , superbiamque , & alia vitia , quæ ex tali amore nascuntur , sicut è panno tinea. Ideoque

R. 2. Cum eodem lc. præscindendo de perfectione evangelica quâ tali , potest omnino perveniri ad perfectionem sine his tribus votis ; patet exemplo *Abraha* , qui perfectus erat (*ambula coram me , & esto perfectus. Gen. 17. 1.*) sed hanc perfectionem adeptus potius ex perfecta , & per charitatem formata obedientiâ , & abnegatione sui &c. quàm ex abdicatione temporalium ; utpote quæ recepit , & retinuit , licet in apparata immolatione Filii Isaâc ad tempus reliquerit illa ; at uxorem nunquam dimisit.

Nihilominus R. 3. ex *Zegnero Bernardo de E-spen. J. U. D. & SS. Canonum Professore Lovan.* in dissertat. Canon. contra *P. Winants Augustin. c. 2.* his verbis. Ex dictis habemus, quòd religiosa paupertas sit omninò magna virtus , & altus justitiæ mons : ac consequenter mirum non est , si multum collaborari debeat , ut magna illa virtus conservecur , nec ab alto illo justitiæ monte decidatur. *h. i. Inspice , & fac secundum exemplar, quod tibi in monte hoc monstratum est. Exod. 25. 40.*

CAPUT III.

De dignitate paupertatis evangelica, seu religiosa.

Q. I. An paupertas spiritus dici possit fundamentum evangelica perfectionis. R. affirm. sic enim inquit S. Ambros. in c. 6. Luc. Beati pauperes &c. primam hanc benedictionem uterque Evangelista posuit: ordine enim prima est. & parens quaedam, generatioque virtutum. Quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. h. i.

II. Clarius S. Bonav. in cap. 7. Luc. super illa verba, Pauperes evangelizantur &c. ait: Nota, quod magis dicit pauperes evangelizantur, quam virgines, vel obedientes; quia paupertas est NB. fundamentum evangelica perfectionis, & consummatio eiusdem, secundum illud 2. Cor. 8. altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Et Gen. 41. 9. Crescere me fecit Deus in terra paupertatis mee. h. i.

III. S. P. N. Franciscus paupertatem evangelicam hanc sui dicebat Ordinis NB. fundamentum: cui substrato primarie sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, & everfione funditus evertatur. h. i. S. Bonav. c. 7. vit. §. 2.

IV. Idem ibidem §. 3. quemdam paupertatis contemptorem & offensorem his verbis increpuit: Vade frater Musca-- incepisti à carne, ruinosum NB. fundamentum spiritali fabrica collocasti.

V. Christus instituens Ordinem S. Birgitta, ita eamdem alloquitur in Regula Salvatoris: Principium itaque huius Religionis & salutis est vera hu-

militas. Et pura castitas, atque voluntaria paupertas, h. i.

Q. 2. An paupertas evangelica possit insuper dici radix perfectionis, Reginaque virtutum &c.

R. 1. Hoc eam encomiō honorare voluit S. P. Franciscus l. c. §. 1. Christi Jesu paupertatem & matris frequenter cum lacrymis revocabat ad mentem. Inde hanc virtutem asserens esse Reginam, quia in Rege regū, & in Regina Matre ipsius tam praestanter effulsit. Nam & fratribus in conclavi querentibus, quae virtus magis amicum redderet Christo; quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: paupertatem noveritis fratres specialem esse viam salutis, tamquam humilitatis fomentum, NB. perfectionisq; radicem; cuius est fructus multiplex, sed occultus. h. i. ex his

R. 2. Sicut Christus praedicaturus beatitudines, incepit à paupertate tamquā fundamento; sic & omnium Ordinum Fundatores in hac eadem fundarunt suas Religiones, earumque pias sanctiones, uti & spem certiolem tandem enascituri alicujus notabilis profectus. Et hinc sollicitam curam gesserunt, & eorum successores adhuc gerunt de hoc fundamento immobili, & infracto conservando. In hoc fundamento ab Apostolis suo tempore posito & firmato Lapis angularis summus & primus est Christus, juxta verbum Apostoli 1. Petri 2. 6. cui proinde etiam hae paupertas efficit conformiorem, gratiorem, & viciniorem, in ejusque dilectione solidiorem.

Q. 3. Cur à D. Th. & aliis DD. paupertas vocetur instrumentum perfectionis. R. quod propter hanc

hanc, in similitudine, duplicem paritatem; quia, sicut *primò* sine instrumento nullus in sua arte proficere potest, sic nec religiosus in via perfectionis, ad quam vi status aspirare debet, si paupertatem contempserit. *Deinde*, sicut, adhibitò instrumento obtuso, aut mutilò, labor fit minùs proficiuus, aut omnino inutilis, vel impossibilis; ita & profectus in via perfectionis debilis, aut mancus, aut nullus speratur, si paupertas contemnatur.

Q. 4. An, & quare religiosa paupertas muro comparetur.

R. 1. Quòd muro comparetur in Summario Constit. Soc. Jesu §. 23. ubi sic constituitur: *Paupertas ut murus Religionis firmus diligenda: Et in sua puritate conservanda est, quantum divina gratia aspirante, fieri poterit, h. i.*

R. 2. Seraphica V. Teresa mirè quoque paupertatem dilexit, & muro assimilavit; ut patet ex his ejus verbis, l. de perfectione vitæ c. 2. *Curemus per Deum strictè observare hanc paupertatem, tanto magis, quia ipsa est telum nostrum. Quae in exordio foundationis vestri Ordinis adeò in magna estimatione Et observantia fuit apud illos priscos Patres (prout mihi constat ex revelatione illius, qui bene novit) quòd etiam nihil prorsus ex hodierno die in crastinum reservare solerent---* *Quamdiu hac observaveritis, NB ne timeatis de ruina vestri Ordinis, Deò propitiò. Solebat dicere S. Clara, NB. sublimes esse Et fortes muros sancta paupertatis. Sic quippe paupertate, Et humilitate volebat muros Monasterii cingi. Revera enim per*

utriusque hujus veram observantiam honor Religionis, & aliis profectus firmitus solidantur, quàm per altissimos muros, aut sumptuosa edificia.
h. i.

R. 3. Comparatur autem religiosa paupertas muro ob triplicem rationem. I. Si murus ambiens civitatem sit adhuc firmus, integer, & solidus, securè intrò habitant cives. II. Hostis nequit habere aditum ad civitatem, nisi prius muros quatjat, perforet, diruat, solo æquet. III. Hinc muris adhibetur vigilans, fidelisque custodia, & frequens inspectio, ut reparentur rimosæ aperturæ, immo ut & muri suffulciantur interiori aggere. *Applica*, & similem curam, diligentiam, vigilantiam, & custodiam paupertati integræ & solidæ conservandæ adhibe; ipsa enim ut *murus* cingit te, protegit te, munit te, conservat te in regulari vita, disciplina, & æstimatione. Si minimam rimulam in illa incautè admitteris, & toleraveris, grandius foramen fiet per fallaciam hostis semper *muro* huic insidiantis; quem si dejecerit, factum est cum vigore & honore talis Religionis. Flebilis docet id ipsum experientia, quâ viluerunt coram Deo & hominibus Religiones illæ, quæ sunt proscriptrices paupertatis religiosæ.

Q. 5. An paupertas evangelica possit etiam aliquo modo dici *fundamentum*, seu *exordium*, vel *initium Ecclesie*.

R. *affirm.* nam i. S. *Ambros.* in c. 2. Lucae, contemplans paupertatem Filii Dei nati in carne, ait, exclamando; *Videte nascentis Ecclesie exordium!*

Chri-

Christus nascitur, pastores vigilare ceperunt &c.
h. i.

II. B. V. M. l. 4. revelat. c. 76. ad S. Birgittam
sic inquit: à tribulatione, & paupertate primùm
surrexit Ecclesia, ut Deus esset hereditas eorum; &
non in mundo, nec in carne, sed in Deo gloriaren-
tur. Et infra.

III. A tribus bonis cepit Ecclesia, 1. à fervore
fidei, 2. à paupertate, 3. ab effectu virtutum, &
miraculorum. Hac quoque tria fuerunt in B. Petro;
nam habuit fervorem fidei--- habuit etiam pau-
pertatem, quia circummeundo mendicabat, & la-
borando manibus se pascibat. Miracula quoque
per invocationem SS. Nominis Jesu, immò & per
solam sui corporis umbram faciebat.

Q. 6. An voluntaria paupertas sit stultitia.

R. 1. Utrique videtur stultitia secundum mun-
dum, juxta illud: *Nos stulti propter Christum &c.*
hinc & mundani homines, & religionis spurii di-
cere solent, *Monachum carentem pecunia esse si-
milem umbra in pariete.* At pro foro, & iudicio
Dei

R. 2. Ex doctrina S. Orsiesii: quorum animam
possidet avaritia, his videtur pro Christo stulta
paupertas. h. i.



CAPUT IV.

De aliis prerogativis Evangelica Paupertatis, &c.

Q. 1. An singularis amor paupertatis evangelicæ sit prerogativa dicenda.

R. 1. affirm. Ita enim de *S. P. N. Francisco* scribit *D. Bonav. c. 7.* Prerogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissima paupertatis amorem. *h. i.*

R. 2. Vocatur prerogativa specialis, propter fructum multiplicem, sed occultum, ut agebat *S. Pater.* Deinde, quia non est datum nisi amicis singularibus Dei, tam libenter, tam amanter, tam perseveranter, tam universaliter pro amore Christi cuncta terrena despiciere, & Christo pauperi in paupertate conformari. Demum, quia hoc requirit, immo supponit robur animi heroicum, quod non datur nisi specialibus amicis Dei.

Q. 2. Quo encomio nobilitârit, & compellârit paupertatem *S. P. N. Franciscus.*

R. Ex historia vitæ ejus, quod eam subinde nominârit tenero affectu, & devotionis mirificæ sensu, *Matrem, Dominam, Sponsam, Patrimonium Christi, margaritam Evangelii, semen regni, portionem gregis Christi, Mensam Domini, thesaurum Paradisi, radicem sanctitudinis, arram beatitudinis, hereditatem servorum Dei, &c.* Hujus amorem ut tenaciùs imprimeret Fratribus, metu miseræ inopiæ terruit, dum sæpe dixit: *Fratres mei, si paupertatem fugeritis, homines fugient vos.* Ab illa

illa proinde nec minimam discedere volebat, quantacumque necessitatis prae-textu: gloriatus-que fuit in Domino, se paupertatem evangelicam perfectè sectatum fuisse, & numquam (pro quanto conscientia propria retinisset) hanc matrem suam paupertatem offendisse. *O Patriarcha pauperum Franciscè, auge talem tuorum numerum in charitate Christi, ob quem tam tenerè paupertatem dilexisti.*

Q 3. Quare vocetur paupertas evangelica margarita.

R. Quòd propter triplicem rationem, I. Margarita non invenitur, nisi à quærente (Simile est regnum caelorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa autem &c. Matth. 13.) at paupertatem pauci inveniunt, quia pauci quæ-runt; ideo non quæ-runt, quia non diligunt, est enim Paupertas (ut Seneca ajebat) odibile bonum: & quia non diligunt, hinc non eligunt, nisi illi pauci, quibus valorem illius dedit agnoscere Christus, qui eam amissam, & conculcatam quæ-sivit, & reinvenit in terris; propterea enim descendit de caelis, ut ait S. Bern.

II. Ob annexum dominium; de quo S. Bonav. serm. 2. de S. Petro: Nobilis margarita paupertas; quæ dum omnia contemnit, dominium super omnia accipit. Sicut è contra avarus dum omnia appetit, omnium servum se facit. Quare avari numquam possunt esse beati, quia numquam possunt esse contenti. h. i. Intellige hæc non de dominio proprietatis, sed dominio, quò dominatur sibi ipsi, malis passionibus, ac vitiis; item mundanis bonis, & ho-

noribus, in quantum refugit subijci illis, & non indiget illis frequenter, cum paucissimis facile contentetur.

III. Ob annexam adpromissam dotem; de qua S. Bonav. in c. 10. Lucæ: *Paupertas cum appareat turpis ac vilis, junxit ei Dominus maximam dotem, ut per illam saltem in conjugium possit assumi, cum dixit: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. h. i.*

IV. Ob annexam regiam dignitatem; de qua S. Bern. Epist. 103. *Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitorem. Ille gradus proficientium est, hic perfectorum: amicitia namque pauperum, Regis amicos constituit; sed amor paupertatis Reges facit. Regnum denique celorum pauperum est. h. i.*

V. Quia quietat affectum hominis. Seneca epist. 2. ad Lucilium: *Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non enim qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. h. i.*

VI. Ob annexam quamdam terrenam felicitatem; nam (ut l. c. discurret Antonius à Spiritu S.) illud nobis persuasum esse debet, eum esse beatiorum, non qui plus habet, sed qui minus cupit. Quid enim est beatitudo? summa inopia cupiditatum. Itaque ille beatissimus est, qui nihil desiderat, quem pauca fatiant. Cur sunt inventæ opes? non ideo, ut plura habeamus, sed ne quid deesset. Mensura igitur opulentiae est, non plus habere, sed minus deesse. Sed illi nihil deest, qui nihil desiderat. Ergo. h. i.

CAPUT V.

De voto Paupertatis religiosa.

Q. 1. Quid sit votum paupertatis religiosa.
R. Ex doctrina plurimorum Doctorum, quod sit *votum solenne, vel quasi solenne, quo homo in religione approbata abdicat voluntarie a sua privata persona omne jus civile actuale, & possibile, vel saltem liberum, independentem, & inimpeditum usum istius juris, circa rem quamcumque temporalem pretio aestimabilem, ex desiderio majoris perfectionis, & sequela Christi.*

Explicantur singulae particulae. Dicitur 1. *votum*; est enim promissio voluntaria deliberata, &c, estque actus virtutis religionis, item temperantiae, quas vel generat, vel generatur ab illis. Potest tamen etiam ex motivo aliarum virtutum procedere elicitive, vel imperative, v. gr. a charitate, &c. Dicitur 2. *solenne*; quale emittitur in professione, dum tam ex parte Religionis acceptantis, quam Religiosi acceptati fit mutuus contractus, ex parte utriusque indissolubilis. Dicitur 3. *vel quasi solenne*; prout in Societate JESU fit per vota biennii, quae licet sint simplicia, ex declaratione Summorum Pontificum tamen in hoc possunt dici *quasi solennia* per diminutionem, quoad hunc saltem effectum, quod aequè ac vota solennia, constituent substantialiter Religiosum, juxta eandem declarationem Summorum Pontificum.

Dici-

Dicitur 4. *in Religione approbata*. Hinc, si extra talem fiat promissio soli Deo, vel in manus Confessarii, de abdicatione temporalium, non est similis naturæ, cujus est votum solenne, nec tanti meriti, immo nec vinculi tanti. Dicitur 5. *abdicat*, id est, renuntiat, ita ut illud habere efficaciter nolit, ac sponte cum effectu abjiciat, incapacitatemque pro futuro contrahat ullius juris civiliter acquirendi post professionem pro sua privata persona, quæ civiliter moritur.

Dicitur 6. *omne jus civile, &c.* non enim resignat, nec resignare potest jus poli, seu jus naturæ, quod quisque habet in extrema necessitate ad cujuslibet rei usum pro conservatione vitæ.

Dicitur 7. *actuale, & possibile*; nam sibi ipsi abscindit omne jus justitiæ activum pro futuro quidpiam acquirendi suæ privatae personæ. Dico *privatæ*; ut indicem, quod Monasterium saltem ejus non amittat jus, (quod per professionem transfertur in illud) in quantum repræsentat hunc suum religiosum professum, quamdiu tamen ille in vivis manet, succedendi ab intestato in bona, quæ aliunde adveniunt, per mortem proximorum consanguineorum talis Religiosi (si tamen Monasterium capax sit Domini bonorum temporalium; & non sit aliter pactum in professione per aliquam cessionem, & omnimodam resignationem talis Religiosi).

Dicitur 8. *vel saltem &c.* quæ particula adduntur propter Religiosos Societ. Jesu: quamvis enim hi post vota biennii retineant (juxta speciales

les

les suas constitutiones à Summis Pontificibus roboratas) dominium radicale suorum bonorum; attamen liberam de illis dispositionem, aut usum independentem illorum resignant vi voti paupertatis, quod tunc emittunt.

Dicitur 9. *circa rem temporalem &c.* nam jus ad spiritualia, item ad famam, vitam, nemo potest, vel non vult à se abdicare, aut resignare. Dicitur 10. *ex desiderio &c.* hic enim est finis religiosæ vocationis, & professionis. Porro si

Quæras, quid sit *jus justitia*, cujus fit mentio in dicta descriptione; *R.* Quòd sit *prelatio quædam alicujus præ alio circa rem vel usum ejus, vicius res illa specialiter illi devincta est, & subiecta, ut subserviat ejus dispositioni, & utilitati, præ altero, &c.* Ita Card. de Lugo.

Q. 2. An profitens solemniter, vi voti paupertatis, quasi contractum mutuum ineat cum Deo, in quo ipse se obliget Deo, quòd velit omnia propter ipsum abdicare, seque ejus paternæ sollicitudini, & Religionis suæ potestati pro futuro committere: Deusque tale votum acceptans sponte vicissim se obliget (generali voluntate, expressâ, & significatâ per vocem Superioris ad professionem acceptantis &c.) ad communicandum illi suam gratiam, quâ possit promissæ obligationi satisfacere, & simul ad providendum per suæ religionis ministros in omnibus, quæcumque ad ejus naturæ sustentationem & conservationem fuerint opportuna, simulque vitam æternam (prout etiam Superior acceptans nomine Dei, profitenti addicit.)

R. Quòd

R. Quòd ita doceat *Bartoluc.* noster in cit. Minorica. Attamen non est talis contractus propriè dictus, quales sunt humani civiles; utpote quorum Deus capax non est. Nihilominus ille contractus est altioris ordinis, & ex parte Dei quoad standum suis promissis, habet majorem certitudinis infallibilitatem, quàm ullus unquam contractus humanus habere possit.

Q. 3. An, quidquid Religiosus acquirit privatâ industriâ, quovis licito modo, ideo ipso incorporetur Monasterio. R. *Cum comm. affirm.* ex Trid. & Decreto S. Congreg. jubente, ut statim (maximè si pecunia sit) Superiori tradatur, Conventuique incorporetur. Hæc autem incorporatio est vel juris, dum fit per acquisitionem propriè dicti dominii, usus-fructus, usury, &c. qualis fit in monasteriis dominii capacibus: vel solùm fit per simplicem usum-facti; qualiter fit in monasteriis juris proprietatis incapacibus.

CAPUT VI.

De Religiosorum egestate, seu inopia virtuosa, id est, voluntaria.

Q. 1. An Religiosorum paupertas sit idem, quod egestas, vel inopia.

R. *Cum commun. negativè.* Nam inter primos Christianos, qui non habebant *meum, tuum, suum,* id est, *proprium,* non erat ullus egens (ut dicitur Act. 4.). Deinde in monasteriis opulentis in communi,

muni, potest commodè, immo optimè servari paupertas in particulari, dum quisque caret proprio; & in usu mobiliũ habent accuratam & punctualem dependentiam à nutu Superiorum. Non tamen caret ibidem ullus necessariis; hoc enim & in Trident. & in Decreto S. Congreg. strictè præcipitur, ut *nihil necessarium denegetur* Religiosis paupertatem voventibus.

R. 2. Egestas ergo quid amplius, seu potius quid aliud importat, quàm religiosa paupertas; nimirum habere carentiam rerum necessariorum, vel suppetentiam arctam & parcam. Quam quia sæpe habuit, & sponte toleravit Christus Dominus, verè dicitur ab Apostolo propter nos fuisse *egenus factus*, (2. Cor. 8. 9) Qui insuper (ad excellentiam meriti, & superabundantiam satisfactionis pro nobis) sponte elegit, & sustinuit opprobrium paupertatis (ut ait S. Bonav. in tract. de paupert. Christi) id est, paupertatem contemptibilem, qualem sustinent plebeji coacti. Cùm tamen Religiosi pauperes honorenur in paupertate sua. De qua dixit S. Tereſia in via perfect. c. 2. *Vera paupertas voluntaria ob amorem DEI suscepta tantam reverentiam conciliat, ut agrè possit tolerari ab aliquo extraneo, quin subveniat.* h. i.

R. 3. Quòd in Monasteriis, in quibus est abundantia in communi seu opulentia, possit meliùs servari regularis vita & disciplina, agnovit hodiernus S. Anno Archi-Episcopus Colon. (in cujus die festivo hæc scribo, scil. 4. Decembris) qui, dum in Monasterio S. Michaelis à se fundato,

Mo-

Monachis sufficientissimos assignasset redditus, hac intentione, ut essent omnino inexcusabiles à vitæ religiositate, & votorum integra observantia, eis Dei maledictionem imprecatus fuit, si redditibus abutentes à religiositate vitæ deflecterent, &c. Hæc non habent causam illam excusationis, quam habent, & allegare possent alia Monasteria nimis tenuia, & depauperata (prout agnoscit S. Bonav. in quæst. super regulam) quibus subinde evenire potest, quod dicitur non ineptè: *Termin ist unser Ruin/ id est, inordinata mendicatio est religiosa vitæ obfuscatio.* S. Bonav. in Epist. ad Prov.

R. 4. Aliqui Religiosi simplici intelligentia pro eodem sumunt paupertatem & inopiam. Quale quid audiui in opulento Monasterio Monialium; quæ dicebant: *Nos non vovimus paupertatem, sed tantum vivere sine proprio.* In sensu ergo improprio sumpserunt & intellexerunt paupertatis religiosæ essentiam & obligationem.

Q. 2. An non saltem religiosa paupertas amet socialitatem inopiæ seu egestatis in usu mobilium, seu rerum necessariorum.

R. 1. affirm. Ita enim ordinatur in summario constit. Soc. Jesu §. 24. dum dicitur: *Diligant omnes paupertatem ut matrem: & juxta mensuram sanctæ discretionis suis temporibus ejus effectus aliquos experiantur.* b. i. Effectum paupertatis experitur & suffert, qui habet patientiam in defectu necessariorum, & incommoditatem libenter tolerat in multis, &c. Ex his

R. 2.

R. 2. Licet essentia paupertatis religiosa non consistat in egestate, aut inopia, nec in obligatione ad arctum, parvum, seu angustum usum temporalium; tamen moderatus eorum usus socialiter amatur à virtute paupertatis; quæ alioquin pro objecto *per se* respicit abdicationem omnis juris civilis circa res temporales, vel saltem juris independentis circa tale jus, &c.

R. 3. Ex *Petro Aureolo*, quod sociales, seu sodales paupertatis sint *Humilitas, temperantia, parsimonia, sufficientia, fidelitas, exemplaritas, contentatio*, & si quæ sint aliæ virtutes, aut semi-virtutes conterminæ, aut actus earum, quibus juvatur & promovetur religiosa paupertas, ut securius & perfectius incontaminata subsistat. Contra quam alioquin, sine hoc sodalicio, facile delinquitur. Quod advertit *D. Vincentius* in Tract. de vit. spirit. c. 1. dum redarguit pauperes delicatos & impinguatos, dicens: *Dicunt se amicos paupertatis, sed sodales ejus fugiunt.* h. i. De hac inopia canitur in Respons. de S. P. N. FRANCISCO: *Pro paupertatis copia regnat dives in patria: Regis sibi substituens, quos hic ditat inopia.* h. i.

Q. 3. An Religiosus ille meritò pauper dicendus (qualem se profitetur) qui nulla re vult egere.

Respondet *Alvarus de Paz* Ord. Minor. l. 5. p. 1. c. 8. negativè, verba ejus sunt: *Paupertas indigentia vocatur* (non formaliter, sed consecutivè, seu imperativè) eò quòd pauperem aliquibus *faciat indigere.* Qui autem curat solum superflua

refecare, & omnibus necessariis vult abundare, & nullare, nec minima indigere, is falso sibi nomen pauperis arrogat, & de hujus perfectione virtutis inaniter gloriatur. Audeo dicere, neque Reges sæculi hoc habent, ut nullo egeant, & ad statum suum omnia necessaria possideant. h. i. Pergit ulterius.

NB. Delicata satis, immo & ridicula erit hujus Religiosi paupertas, qui nullo velit indigere: qui, si cibus bene paratus non sit, murmuret: si vestis illi data aliquantulum detrita, conquiritur: si in libris, aliave suppellectili desit aliquid, contristatur. Is secundum mundum istum ditior est divitibus hujus sæculi: nam illi talem paupertatem non averfarentur, quã nihil ipsis deficeret, &, quidquid eis in mentem veniret, haberent.

Quod si nobis omnia tribuantur abundanter, nostrum erit eã cum rubore suscipere, nosque ipsos tamquam fictos pauperes arguere, & aliqua præ amore paupertatis nobis sponte subtrahere. Sic Apostoli, dum spicas vellerent præ fame: sic Paulus in fame & siti, in frigore & nuditate paupertatem servaverunt. Sic ipsemet

Christus, &c. *Hucusque piissimus Alvarus*
verè spiritu pauper, & conscientiosus
paupertatis observator.

* * *

CAPUT VII.

De voluntaria inopia Christi Domini, B. V. Mariae, & SS. Fundatorum Regularium Ordinum.

Q. 1. An Christus Dominus voluntariam sustinuerit inopiam.

R. affirm. patet ex hucusque dictis. Inopiam in nativitate elegit Christus (ut ait *S. Bern.*) ut nostram confunderet insipientiam, qui semper mollia carnis commoda sectamur, &c. *Pientissimus Angelus de Paz* meditans super illud: *Ecceperunt vellere spicas*, Marci 2. 23. ait: magnum paupertatis Christi argumentum, nec non sequacium, qui nullum cibi genus, præter sata, quæ occurrebant, & silvestres herbas, & germina campestria habebant. Attamen *Egenus factus est, ut illius inopia vos divites essetis.* 2. Cor. 8. 9. De hac plura infra.

Q. 2. Utrum *B. V. Mariae* vixerit in paupertate, & inopia.

R. affirm. Et quidem fuit hæc inopia valde magna, quæ justè poterat amantissimum cor ejus grandi mœrore affligere & conturbare, eò quòd in aspera hieme non inveniret locum in diversorio, aut commoditatem congruentem tantæ puerperæ. Attamen certissima agnitio voluntatis divinæ & electionis, & portabilem, & gratam fecit ei hanc inopiam. De qua

B. V. Maria ipsamet revelavit *S. Birgitta* l. 6. revelat. c. 58. de se, & divino Infante, virgineoque Sponso Josepho, dum dixit: *Cum verò in timoribus, & paupertate, & difficultatibus essemus, non fecit nobis Deus Filius meus aurum, & argentum, sed hortabatur ad patientiam; & mirabiliter servati fuimus ab invidis. Necessaria quoque provenerunt nobis quandoque ex compassione piarum mentium, quandoque ex labore nostro; ita ut haberemus necessaria ad solam sustentationem, non ad superfluitatem; quia nihil aliud quaesivimus, nisi soli servire Deo. h. i.*

R. 2. De paupertate Christi, & *SS. V. Matris* ejus devotissimè scripsere *D. Bonav. & D. Bern.* Hic tandem concludit *Serm. 3.* in Natali Domini: *Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. h. i.*

Q. 3. An Apostoli tolerarint egestatem.

R. affirm. Patet ex jam dictis. Confirmatur ex illo *2. Cor. ii. 8.* ubi loquitur de se Apostolus & aliis Co-Apostolis: *In labore, & erumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, &c.*

Q. 4. Quid senserit *S. P. Franciscus* de voluntaria ob Christum inopia.

R. Id patet ex eo, quòd, dum cum *Fr. Masseo* in via, fame & siti cruciatus, ac lassatus confedisset ad fontis oram, bibissetque de aqua, & comedisset de duris frustulis panis ostiatim mendicatis, nec ultra haberet, quò se reficeret, spiritu
exultans

exultans excitavit socium ad Deo regratiandum de tam ingenti paupertatis thesauro. Quærens autem *Fr. Massens*, quisnam ille esset thesaurus in tanta rerum inopia; respondit, *illud ipsum esse magnum beneficium, quod illa omnia, qua deessent, à Deo supplerentur, &c. NB.*

Post in templo, quod primum occurrit, orare cepit Deum, ut sibi & suis sanctæ paupertatis amorem inspiraret; idque tanto fervore, ut ex facie ignis emicaret, & ex ore incredibilis spiritus & anhelitus vehementia erumperet. Aitque ad socium, eamus Romam ad *SS. Apostolos Petrum & Paulum* exorandos, ut nos doceant tam præclarum paupertatis thesaurum rectè ac fructuosè possidere: is enim ita præstans, ita divinus est, nos autem ita viles & abjecti, ut indigni simus, qui eum talibus vasis teneamus. *Ita Specul. vit. S. Francisci, & sociorum.*

Q. 5. An, & cur *S. Teresia*, aliique Sancti plus timuerint copiam, quam inopiam rerum temporalium. *NB.*

R. 1. Hanc veritatem de se fatetur *S. Teresia* l. de vera perfect. c. 2. dum inquit: *Memineritis sorores, hanc admonitionem esse magni momenti, & post meam mortem multum vobis profuturam: ideoque illam in scriptis relinquo; nam, quamdiu vobiscum superero, frequenter illam volo vobis inculcare. Ipsa enim satis experta sum, eam plurimi interesse. Quò minus habeo, eò expeditiorem à curis me invenio. NB. Testis est mihi Deus (ut ita clarè loquar) quod gravius angar rerum co-*

pa, quàm inopiâ. Fortasse istius meae persuasionis ratio hæc est; quia in me ipsa experta sum, quòd in defectibus clementissimus Deus citò de necessariis providet. h. i.

R. 2. Similiter de pretio inopiæ sensit sanctus ille paupertatis amator *Isaac Monachus*, de quo *S. Gregorius* l. 3. dialog. c. 14. qui cùm oblatas monasterii usui possessiones respueret, causam rogatus dixit: *Se ita metuere paupertatis suæ securitatem perdere, ut avari solent divitias custodire. h. i.*

R. 3. Pariter affecta fuit *S. V. Clara*, quæ perpetuum paupertatis privilegium (ut vocabat) ab *Innocentio IV.* precata fuit. Cujus petitioni tam piæ & devotæ piè & devotè Pontifex annisit & annuit. Eadem Sacra Virgo, quæ spiritum paupertatis quasi luxit ex *Seraphici Patris Francisci* eloquiis & exemplis, oblata sibi pro sui monasterii indigentia sublevanda refutat possidere; ut sonat Antiphona in die Festo: *Oblata per Gregorium refutat possidere, nihilque transitorium cum Christo vult habere. Et Respons. Hæc paupertatis titulo pollens, intitulata, post Christum sine sacculo currit exonerata: relicto foris saculo, mens intus est ditata. V. In paupertatis sidulo, nostri præsepis parvulo pauperi conformata.*

R. 4. *S. P. N. Franciscus* planè inhibebat Fratribus suis, ne peterent, aut oblatas reciperent plures eleëmofynas, quàm indigerent pro præfenti, vel imminente tempore, cum aliorum pau-

pauperum damno, & sanctæ matris paupertatis offensa. Quam quidam ex Ordine ejusdem ita d'lexit, ut, dum videret eam in aliquo Conventu non servari ad mentem S. Patris, altum ingemuerit, & fleverit: de causa sui fletus rogatus dixerit: *Mater mea est mortua*, id est, *S. Paupertas proscripta est à nostro Conventu.*

R. 5. Causa autem, ob quam dicti Sancti, & alii S. Paupertatis Filii & Sponsi plùs anxiiati & tristati subinde fuerint de copia, quàm de inopia, hæc est; quia timebant judicia Dei, ne fortè hac temporali benedictione sola præmiata bona eorum opera, sine spe ulteriori æternalium. Deinde, quia (ut S. Bonav. advertit) copia temporalium, teste experientia, faciat Religiosos molles, dissolutos, tepidos, gulosos, remissos, delicatulos, subinde etiam luxuriosos, Deique obliviosos, & irregulatos, nisi solidior timor Dei retrahat, & fræno temperantiæ coërceat illecebram.

Proinde seductor versipellis animarum sæpius tentavit per eleëmofynarum copiam S. *Francisci* Ordinem exterminare, aut à rigore sancto dejicere, prout legitur in Chron. Ordinis nostri. Hac de causa, dum nimiarum eleëmofynarum affluentia impediret Fratrum devotionem, paupertatis simplicitatem, Ordinis rigorem, disciplinæ regularis observantiam, ac religiosæ solitudinis quietem in Conventu illo, in quo mortuus fuerat B. *Petrus Catanus* ex Ordine Minorum, qui crebris miraculis hominum devotionem & frequentiam attrahebat, S. P. Fran-

ciscus stans supra sepulchrum illius mandavit ei in virtute S. obedientiæ, ut desineret facere miracula? & illico desit.

Similiter in medalla vitæ S. Bernardi legitur quidam Abbas in Monasterio Clara - Vallensi huic mellifluis S. Patri post mortem (uti & præviè in vita) miraculis clarissimo mandasse, ob eandem causam, cum simili effectu. Unde & contigit, quòd postmodum dæmon ex obsesso exprobrârit alteri cuidam Abbati volenti median- tibus S. Reliquiis de S. Bernardo malignum ho- stem ejicere, dicens: *Non scis tu Abbatule, quòd tuus Bernardus non faciat amplius miracula?*

CAPUT VIII.

De Statu Paupertatis.

Q. 1 Quis dicatur status paupertatis, de quo Concil. Trid. ait: *Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex status paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, &c.*

R. 1. Cùm dicatur in hoc textu, quòd suppellex debeat statui paupertatis convenire, & in- super superfluitate carere; clarum est, quòd sta- tus paupertatis aliquid significet ultra carentiam superfluitatis. Itaque, *status*, ex D. Thom. & aliis DD. est immobilis vitæ conditio, per quam al- teri obstricti sumus; hinc

R. 2. Status in lc. dicitur *stabile vivendi genus, cui annexum est votum paupertatis, &c.*

R. 3.

R. 3. Status in le. præter carentiam proprii (ex mente Concilii, quæ colligitur ex contextu) insuper etiam significat, quòd non debeat esse excessus in pretiositate, curiositate, coloris varietate, mundana raritate, exotica nugacitate, singulari novitate, aut rei ipsiusmet inutilitate &c. Neque in modo utendi peccetur contra religiosam modestiam, parsimoniam, frugalitatem, vilitatem &c. de qua

R. 4. S. Bonav. in c. 6. regulæ insuper requirit: *Professores altissimæ paupertatis, oportet, quòd omnia, quæ in eorum usum veniunt, habeant, ut est possibile, parvitatem, vilitatem, ac tenuitatem.* ubi per *ly tenuitatem* Thomas à Jesu Discalc. in append. de perfectione paupert. intelligit *frugalitatem.*

Q 2. An status paupertatis insuper exigat exterioriorem in vestibus squalorem.

R. 1. *negat.* immò fortè potius talem squalorem, si sordidus sit, excludit, maximè inter Religiosos communiter viventes; apud quos proinde talem squalorem non invenimus, sed in rigore & austeritate exteriori possibilem munditiam, neququam tamen splendidum nitorem, divitibus potius quàm pauperibus competentem. De qua S. Bern. *Paupertas mihi semper placuit, sordes numquam.* Et de B. Pio V. legitur, quòd *fuerit amator paupertatis, sed munda.* Et S. Teresa dicere solebat, quòd Religiosus in cella aliquid habere debeat, quòd S. paupertatem singulariter redoleat.

R. 2. Potest nihilominus saltem privatus ali-

quis extra communitatem vivens, ex amore paupertatis, immò & abundantis in Deum charitatis, ac desiderio pro peccatis satisfaciendi copiosius, tales squalidas austeritates in se assumere, v.g. cilicium numquam deponere, quamvis ex sudore putrescens, vestem internam numquam lavare, stratum in cinere & pulvere eligere, vexationem à muribus, foetoremque à cimicibus constanter tolerare &c. Qualia exempla multa leguntur de aliquibus sanctis Eremitis, aliisque religiosis. Dixi autem *privatus* &c. quia sæpe non expedit in religiosa communitate viventi, in similibus exoticè singularem esse, ad arcendum ab aliis horrorem, & à semetipso vanæ gloriæ periculum &c. vel hypocrisin.

Q. 3. An status religiosæ paupertatis excludat non necessaria.

R. affirm. cum *S. Bonav.* in Reg. de reformationis, ubi inquit: *Attende semper, ut nihil habeas in cella, nisi necessaria: & hoc dico de minimis rebus; ne fortè negligendo modica, paulatim cadas ad majora. Ait enim August. Vitasti grandia, vide, ne obruaris arena---* quanto quis perfectius paupertatem amaverit, tanto melius de necessitate judicabit--*ista necessaria sunt, sine quibus esse non possimus. h. i.*

R. 2. Hæc tamen necessitas habet aliquem graduum latitudinem secundum magis & minus: à qua proinde non debent excludi congrua commoditas, & subinde moderata religiosa recreatio, ludus & jocus, juxta quod permiserit Eutrapelia, consideratis circumstantiis loci, temporis, persona-

sona-

lonarum, coram quibus &c. unde quod est utile ad recreandum religiosum ex studiis fatigatum, viresque corporis & mentis pro futuro restaurandas, censetur in suo genere & gradu necessarium. Nam, ut ait S. Bonav. q. 9. circa Regul. *assiduum lucrum in studio S. Scripturae, in devotionis desiderio, in tentationis certamine, in aeterna solitudinis vigore, ita consumit & desiccatur vires corporis, ut, nisi exterius quandoque aliquatenus refocillentur, non valeant diu subsistere.* h. i.

R. 3. S. Anton. Abbas in sua Regula §. 8. ita monet: *Ne reserves tibi plus quam indiges: nec enlargiaris plus quam potes.* & §. 32. *Ne comedas ad satietatem, nec dormias, nisi parum, & veniant ante Angeli.*

R. 4. Isaias Abbas in Regul. §. 56. ita jubet: *Comede semel in die, sed non ad satietatem. Præbe corpori tuo, quantum indiget, juxta exigentiam naturæ.* h. i.

Q. 4. Quis sit finis statûs paupertatis. R. cum communi DD. ex D. Th. quod sit hic, ut possit homo Deo, & spiritualibus melius vacare, & ad amoris ejus perfectionem commodius & securius pervenire. Sicut enim, juxta dicta supra, & D. Th. 2. 2. q. 186. a. 3. in corpore, *Paupertas ad perfectionem charitatis obtinendum primum fundamentum est;* ita juxta eundem in resp. ad 4. *voluntaria paupertas est efficax exercitium perveniendi ad perfectam charitatem: & ideo multum valet ad caelestem beatitudinem assequendum.* h. i.

Q. 5. In quo consistat perfecta renuntiatio paupertatis. R. quod in perfecto explendo Chri-

sti

sti consilio: *Qui non renuntiaverit omnibus, quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. 33. Ad quod alludens S. Bern. scribit ad Sinon. Archiep. Felix, qui nihil sibi retentat ex omnibus quae habet, non foveam, ut vulpes; non tamquam volucres nidum; non loculos, quomodo Judas: non domos, sicut nec Maria locum in diversorio: imitatus profecto illum, qui non habebat, ubi caput reclinaret. h. i. Ubi per foveam intelligitur cupiditas terrenorum, per nidum ambitio, per loculos pecuniae affectus, per locum in diversorio domorum proprietas, secundum quod dicunt saeculares: *Proprius est focus multo pretiosior auro.* Eigen Herd ist Gelters werth. At servi Dei aliter loquuntur, ut sequantur exemplar virtutum Christum, qui non habuit, ubi caput reclinaret.

CAPUT IX.

De aliis requisitis ad vitam more pauperum virtuose ducendam in Religione.

Q. 1. Quid significet haec constructio: *Pauperem vitam ducere.* Tob. 4. 23. *Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* h. i.

R. 1. Quod generet triplicem sensum etiam in vulgata acceptione. Nam i. significat idem, quod vivere absque pace & concordia, Deique benedictione. Quod v. g. verificatur de conjugibus, inter se discordibus, dum vir est prodigus, pota-

tor &c. Mulier rixosa, garrula, &c. filius contumax, rebellis &c. & hinc panis defectus in domo &c. *Secundo* idem, quod miserè vivere; quod evenit illis, qui per fortunæ invidiam, aut bella, incendia; furta ad egestatem coactam devenère. *Tertio* idem, quod; ex amore virtutis modicis contentari &c. in quo sensu non dicit miseriam, sed potius aliqualem beatitudinem, juxta dictum *S. Bern. Epist. 103. Beatus, qui post illa non abiit, qua possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* In ultimo sensu intelliguntur verba cit. ex *Tobia.* De hoc ultimo sensu

R. 2. Pauperem vitam ducere, ex modo & sensu loquentium significat; in multis necessariis vel saepe, vel subinde penuriam, parcitatem, tenuitatem, vilitatem, ac asperitatem pati. Quod si fiat ex electione, & amore virtutis, magni est meriti, & præmii; spectatque ad laudabilem sequelam Christi, juxta dicta: (*Quamvis hic vivendi modus apud multos Religiosos sit odibile bonum.*) Si autem extrinseca adversitas ad talem statum aliquem deducat, est quidem infelicitatis, & necessitatis; attamen potest esse materia virtutis, in quantum *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8.*

Q. 2. An, licet votum paupertatis *per se* non obliget ad tolerandum inopiam in necessariis, (prout jam tum supra resolutum) attamen perfectio paupertatis voluntariæ saltem ex consequenti coëxigat patientiam in defectu necessariorum vitæ subsidiorum, aut fomentorum, ita ut in hoc se prodat verus amor paupertatis, qui solus

lus

lus est virtus, non verò paupertas nudè inspecta virtus esse potest.

R. affirm. Ita enim *S. August.* in Regula: illos sanè existiment ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores: melius est enim minùs egere, quàm plus habere. Et *S. Bonav.* in epist. ad Provinciales: fœdum est, profanumque mendacium, paupertatis voluntaria professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle. h. i.

Et *S. Francisc. Sales.* introduct. ad vitam devotã p. 3. c. 16. inquit: Ne contristeris, si minora a quo & debito tibi subsidia prabeantur. In hoc namque paupertatis excellentia & dignitas consistit. Velle esse pauperem, & nullum velle incommodum habere, nimis quàm magna ambitio est: idem namque est, ac velle simul honorem paupertatis, & commoditatem divitiarum ac opum habere. h. i.

R. 2. Paupertas religiosa etiam gaudet vilitate, & modicitate, ita *S. Bened.* in Regula. Monachus omni vilitate vel extremitate sit contentus: vilitate (inquit *Hugo Menardus* c. 16. concord. Reg. §. 1.) in cibo & potu, vestimento, calceario, & quocumque opere injuncto.

Ante illum *S. Basil.* in Regulis fusiùs disputatis interrog. 20. Alius venit ex seculari vita, discat operibus, quod & ratio non persuasit; formam & exemplar vite frugalioris accipiat: recordetur mensa Christianorum, & non pudenda propter Christum paupertatis. h. i.

Joannes Hesselius, qui Concil. Trid. interfuit, c. 83. in Decalog. temerè ac stultè voventibus annumerat illos, qui vovent paupertatem, non expenso

penso

penso præviè apud se , an verè cupiant in hoc mundo pauperum vitam ducere.

De *S. P. Francisco S. Bonav. c. 7.* inquit: *in hoc præcipuè suis offendebatur aspectus , si quidquam videret in fratribus , quod paupertati non per omnia consonaret.* Hinc etiam

Soc. Jesu in *Summario Constit. §. 25. Victus, vestitus, & lecti ratio erit ut pauperibus accommodata: & unusquisque sibi persuadeat, quod, quæ vilissima erunt ex iis quæ domi sunt, ei tribuentur, propter ipsius majorem abnegationem, & spiritalem profectum.* h. 1.

Q. 3. An ergo arguendi Religiosi illi, qui interdum meliora, delicatiora, & sapidius condita comedunt, nobiliora que vina bibunt, quàm sæculares &c.

R. Quòd, ceteris paribus, in hoc minimè culpandi sint, quia non culpabiles: excusantur enim ex multiplici capite. Nam I. hoc subinde signum manifestum est inopiæ eorum; quam homines prævidentes, ex devotione meliora mittunt illis, aut ferunt (ut ait *S. Bonav.*) suo proprio ori subtrahunt meliora, eis que utpote pauperibus Religiosis, de quibus optimam habent opinionem, dant tamquam Christo. Et pauperum est, comedere illa quæ apponuntur, aut spontè offeruntur illis. Vide de his *Georgium Gobat* in lib. de Ebrío.

II. Quia, ut legitur in vita *Joan. Tauleri*, iis, qui rigido virtutum exercitio atterunt vires corporis, & mentis, non tantum favendum, sed & suadendum est, ut meliori alimento easdem restaurent.

III. Quia

III. Quia utuntur devoti Religiosi meliori alimento, ad consurgendū in majorem laudem conditoris ciborum; & ut sūt aptiores, ferventiores in ejus servitio, amore, & laude; prout de S. P. *Francisco* legitur.

IV. Quoniam Deus fovet, & procurat eis meliora, tamquam filius sibi gratioribus, qui illa alioquin ex se despicerent, nec quærerent.

V. Solitudo religiosa, & virtutum interharum exercitia non permittunt, ut grossioribus cibis utantur; quia aliquando tales Religiosi valde debilitantur in corpore, capite, stomacho; hinc, ne planè inutiles efficiantur, & magis onerosi suo monasterio, præstat eorum naturas meliori cibo & potu fovere & conservare. Attamen exiguloso affectu talia quærere culpabile esset in ipsis.

VI. Quia subinde assueti talibus in sæculo, contraherent infirmitatem, si de extremo ad extremum sine medio salientes, vellent illico naturam ad duriora assuefacere, & frangere.

VII. Quia Religiosi tales subinde non habent alios cibos. Et quia sæpe difficultatem habent in inedicando talia, haberent majorem & duplicem difficultatem, si postmodum non bene præparata cogèrentur manducare.

VIII. Sæpe boni Patroni talia sic accommodata mittunt eis ita, ut velint cum eis inde in eorum refectorio comedere: ideoque illi interim juxta Regulam manducant de appositis, & vescuntur cibo alieno, & patronorum talium quasi instrumentali ministerio ut servi Dei reficiuntur.

IX. Religiosus quilibet bona intentione, & voluntate pia præditus, se inveniens in tali occasione, virtuosè comedit & bibit, si cogitet, quòd Dei servum reficiat ea intentione, & fine, ut Deo meliùs serviat. *S. Bern. in Spec. Monach. Si quid super appositum fuerit, quasi de celo missum accipe.*

X. Secundùm monita *S. Francisci Sales.* religiosus melius facit, talia ex obedientia, & charitate comedendo, quàm ex sensuali singularitate abstinendo. Et in simili casu potest meliùs exercere virtutem, scilicet non abstinendo ex superbia, nec tamen se ingurgitando ex intemperantia, nec alios scandalizando ex singularitate notabili. h. i.

CAPUT X.

De Discretione servanda in paupertatis rigore, seu inopia.

Q. I. An discretio prudentis permittat, aut exigat, ut Religiosus diligat, & quærat pati aliquam propter Christum inopiam.

R. Licet hoc non sit stricti præcepti, est tamen opus consilii, majoris virtutis indicium, perfectiorisque Christi sequelæ non vulgare argumentum. Cujus rationem dat *S. Bonav. in Tract. de paupertate Christi contra Magistrum Guiliel. dum inquit: Duplex est inopia, quadam involuntaria, qua inducit defectum mentis, & pronitatem, ac occasionem inducit ad peccandum. Alia voluntaria, qua habet adjunctam sufficientiam,*

K

iuxta

juxta illud 2. Cor. 6. tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Et hac disponit ad justitiam perfectam; quia NB. mentem facit ad bonum idoneam; sicut è contra, radix omnium malorum est avaritia. h. i.

Q. 2. Qualiter discretio moderare debeat inopiam seu egentiam in usu alimentorum à Religioso sumendorum.

Resp. Ex doctrina quam dedit Christus D. Birgit. revelat. extrav. c. 13. his verbis. Licet Mater mea perfectissimam habuit abstinentiam; sic tamen discretè gubernavit corpus suum, ut non frangeretur aliqua superfluitate, & violentia. Et licet Pharisei, & multi adhuc Religiosorum non utantur vino, propter hoc tamen non appropinquant mihi, quia non habent fundamentum continentiae, scilicet humilitatem, & discretionem. Ideo cum sublimiora aliqua proponuntur, ponderanda & discutienda sunt ab infirmis, ut non faciant, quantum volunt, sed quid expedit, & quid licet. Ecce enim jejunare in pane & aqua, sanis est bonum, sed non est summum bonum; NB. Summum bonum est charitas, sine qua non est salus. Sine jejunio verò panis & aquae, omnis salvari potest, si adhæsit perfectio fidei, & discretionis, & justa causa. NB. Ergo quia tempora mutata sunt, loca frigida, corda tepida, & vasa debilia; ideo locator palmitum mitigare poterit aspera, & arida succis irrigare. Hoc est sic intelligendum, quòd permissum est jejunantibus in pane & aqua, posse comedere legumina, & aquam coctam bibere.

bibere: nam aridus est panis, & arctus sine leguminibus. Et aspera & frigida est aqua, nisi coquatur more ptisanæ, aut in hordeo excolatur. *Hucusque Christus ad S. Birgittam.* Hæc eadem audivit in spiritu: *etiamsi decies comederis, & biberis in die propter obedientiam, non tibi imputabitur in peccatum.* Revelat. extravag. c. 61.

Q. 3. An Sanctis, qui olim fuerunt paupertatis eximii cultores in terris, nunc quoque paucus & pauper ornatus sit apponendus in exornandis ipsorum templis aut altaribus.

R. 1. Si pauper & modicus, attamen mundus ornatus ex sincero paupertatis amore deferatur, proculdubio id placebit Sanctis talibus. *Nihilominus*

R. 2. Etiam non displiciturum iisdem Sanctis, si pretiosus ornatus iis modò cum interno reverentiæ, & debiti honoris affectu deferatur. *Probat*ur ex eo, quod evenit B. mem. *Patri Josepho de Copertino* Ord. Min. Convl. cum enim perveniens Assisium, videret Altare S. P. N. Francisci, olim acerrimi paupertatis amatoris & propugnatoris in terris, adornatum variis pretiosis lampadibus, argenteisque candelabri; quodammodo suspensus cogitationibus ita secum loquebatur: *Quomodo sanctus Pater noster, qui olim tantopere sanctam paupertatem adamavit, nunc in medio auri & argenti, diversique pretiosi apparatus consistit!* Audivitque hoc S. Patris responsum intra se: *Non mirare Fili; nam honores isti non exhibentur mihi, sed Deo meo. Non vides quòd in Altari hoc sit reconditum SS. Sacramentum? huic offeruntur,*

Et offerri debent talia. Ego hic subsisto in hoc loco subterraneo, ubi vix in tribus lampadibus accenditur, Et fovetur lumen. Hæc in vita ejus.

Q. 4. Qualiter S. P. Franciscus præceperit discretionem in paupertatis arctitudine. R. id ipsum satis liquet ex eo, quod de ipso scribit S. Bonav. c. 5. vit. §. 6. his verbis. Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret; non tamen ei placebat districtiōnis severitas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cùm enim quadam nocte unus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus nullam posset habere quietem; *Intelligeretque pius pastor ovi suæ imminere periculum; vocavit fratrem, apposuit panem: Et, ut ruborem ei tolleret, cepit ipse primò comedere, eumque ad manducandum dulciter invitare.* Deposuit Frater verecundiam, sumpsit cibum, gavisus quam plurimum, quod per circumspectam condescensionem pastoris, & corporis evasisset dispendium, & non modicum accepisset ædificationis exemplum. Manè factò, fratribus convocatis in unum, vir Dei referens, quod acciderat nocte, provida commoitione subjunxit: *Sit vobis, Fratres, non eibus, sed charitas in exemplum.* Docuit insuper eos, discretionem sequi ut aurigam virtutum, non eam, quam caro suadet, sed quam edocuit Christus: cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar. *Hucusque textus vitæ lc.*

Q. 5. Quid faciendum Religioso privato, ut
minùs

minùs exponat se periculo excessus contra ar-
ctum usum temporalium.

R. Quòd discretè studeat sibi earum rerum
non necessariarum denegare usum, quarum dif-
ficile est cohibere abusum, v.g. in minùs necessa-
rio cibo, potu, ludo, joco, recreatione &c. De quo
Cassian. l. 5. de instit. renuntiant. c. 7. Faciliùs vi-
demus viros, qui totum sibi pro continentia amore
denegarent, quàm quiescere sub infirmitatis occasio-
ne, sumentes, mensuram sufficientia custodiant. h. i.
Hujus autem rationem in experientia fundatam
dat

S. Leo Papa ser. 12. dum inquit: Per licitos usus
ad immoderatos transitur excessus, dum per curam
salutis irrepit delectatio voluptatis: Et non sufficit
concupiscentia, quod potest satis esse natura. h. i. Id-
ipsum asserit S. Aug. l. 10. confess. cap. 31. dicens:
quod saluti satis est, delectationi parum est. Idem
S. Leo serm. 5. de jejun. 10. mensis, inquit: Quoti-
diano experimento probatur, potius satietate aciem
mentis obtundi, Et ciborum nimietate vigorem
cordis hebetari: ita ut delectatio edendi etiam cor-
porum contraria sit saluti; nisi ratio temperantia
obstet illecebra, Et, quod futurum est oneri,
subtrahat voluptati. h. i.



CAPUT XI.

De Religiosorum quorundam laudabili mendicitate.

INter præclaros varios Religiosos Ordines aliqui vocantur Mendicantes, qui vi sui primævi instituti, ad maiorem voluntariæ paupertatis rigorem sustinendum, ex mendicato vivunt, licet non tenerentur mendicare, si aliunde habere possent, v. g. ex sponte propter Deum à fidelibus oblati. Horum mendicantium Ordinum varia sunt privilegia, illis à pluribus Summis Pontificibus collata, intuitu meritorum plurimorum, & fructuum à plurimis Sanctis horum Ordinum in Ecclesiam Dei derivatorum. In quibus tamen alii Ordines non mendicantes, ex speciali privilegio Pontificio communicant cum ipsis. De hac mendicitate magna lis ab initio fuit, & quæstio in Ecclesia, an mendicare sit licitum, an virtuosum, an Religiosis concedendum, an dedecens statum religiosum, an probrosus &c. Has quæstiones decidemus.

Q. 1. An mendicitas sit Deo placita. Respondet S. P. N. Franciscus (prout c. 7. vitæ §. 7. scribit D. Bonav. his formalibus: Beneplacitum est Domino in paupertate, & ea maxime, qua voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem pro nobis Dominus Jesus egenus factus assumpsit. h. i. Et ob hanc causam mendicitatem amplexi sunt Sancti; quia ipsa reluxit in exemplo Christi; cujus proinde sequela est. Sed

Quæres 2. Constatne certitudinaliter, quòd Christus

Christus mendicavit. *R. affirm.* cum comm. D. D. Theolg. & Ascetarum. Unus ex illis D. Bern. in serm. de amissione pueri Jesu, sic hunc suum Deum egenum factum alloquitur: *per illud triduum ubi eras bone Jesu? quis cibum aut potum ministravit?* Respondet sibi ipsi: *ut te per omnia nostra conformares paupertati, ut in te humana natura calamitates susciperes, quasi unus è turba pauperum stipem per ostia mendicabas. h. i.*

Ipse quoque Dominus Jesus adultior factus, dum prædicare inciperet, mendicavit potum aquæ à muliere Samaritana *Joan. 4.* victum à mulieribus ministrantibus: asellum & pullum, cum volebat ingredi Jerusalem. *Matth. 21.* diversoriû, ubi pascha manducaret cum discipulis, *Luc. 22.* Hospitium in domo Zachæi, *Luc. 19.* item apud Simonem, & Martham: tandemque in alieno quasi mendicato sepulchro reconditus.

Q. 3. An dicta ergo Religiosorum aliquorum mendicitas spectet ad perfectionem.

R. affirm. ex doctrina S. Thom. opusc. 19. c. 7. ubi inquit: *Assumere mendicitatem propter Christum, ad perfectionem vitæ pertinet, sicut & cetera pœnitentiæ opera, in quibus Religiones fundantur.* Et infra: *Nihil potest esse inter opera pœnitentiæ, quod hominem magis humilem, & abjectum reddat, quàm mendicatio: Unde naturaliter omnis homo mendicare erubescit. Ergo sicut ad statum perfectionis pertinet quod homo jejunia, & vigiliis assumat, ut carnis concupiscentiam domet; ita ad perfectionem vitæ pertinet, si quis mendicitatem assumat propter Christum, ut spiritum humiliet.* Hæc angelicè Angel. Doctor. K 4 Q. 4.

Q. 4. An voluntaria mendicitas sit probrosa, quæ alicui verecundiam rationabiliter generare possit, & debeat.

Resp. Quòd nequaquam sit probrosa ex se, si voluntariè propter Christum sit assumpta. *Ratio est;* quia de illa *S. P. Franciscus* in sua Regula à Christo sibi litera-tenus dictata sic ait c. 6. *Fratres vadant pro elemosyna confidenter, nec oportet eos verecundari; quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* h. i.

II. *L. I. imit. c. 7. §. 1.* *Non te pudeat aliis servire amore Jesu Christi, & pauperem in hoc saculo videri.* h. i.

III. *Christus l. 1. revelat. c. 2. ad S. Birgittam:* *Tu autem sponsa mea, si nihil, nisi me desideraveris, si omnia pro me contempseris, ego dabo tibi stipendium pretiosissimum, & dulcissimum, non aurum & argentum, sed me ipsum dabo tibi in Sponsum & premium, qui sum Rex gloria.* NB. *Si autem erubescis esse pauper & despecta, considera, quia Deus tuus precedit te, quem servi, & amici reliquerunt in terra; quia non amicos terrenos quaesivi, sed caelestes.* h. i.

IV. *B. V. M. ad S. Birgittam l. 4. revelat, cap. 76.* *Dives Deus venit in mundum pauper, ut exemplo ostenderet terrena transitoria esse: & ut homo Domini sui addisceret, nec NB. erubesceret paupertatem, sed ad veras divitias & caelestes festinaret. Ideo cum paupere piscatore inchoabat pulcherrimam dispositionem Ecclesie.* h. i.

V. Immo voluntariam ob amorem Christi mendicitatem esse potius honorabilem, immo & hono-

hono-

honorificam, testatus est *S. P. N. Franciscus*, (de quo *S. Bonav. l.c.*) cum enim cum Domino Hostiensi accumberet, (qui postmodum *Gregorius IX.*) & in mensa ejus vesceretur pane, à se præviè pro amore Jesu emendicato, audiit desuper aliquam exprobrationem à prædicto Domino, quasi ipsius panem contempisset, adducendo frustula panis mendicati; respondit eidem vir devotus: *Magnum mi Domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi: hanc dignitatem regalem, &c.*, prout supra in q. i. huius Cap.

VI. Magnus *S. Gregorius Nazianz.* in apologia mirè gloriatur de inopia, dicens: *Sed paupertatem, & inopiam exprobrabunt? at iste sunt divitiæ meæ: hæc me non solum gloriantem, sed & arrogantem facit. Videntur enim mihi inimici, dum hoc obijciunt, obijcere, quòd in vestigiis illius incedam, qui propter nos inops factus est, cum esset dives. Atque utinam exuere me possem pauculis istis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas sæculi, quæ retinent, & revocant pergentes ad Deum! h. i.*

VII. Insuper Ethnici in hoc saniori sensu confundunt Catholicos, immo & multos Religiosos. Inter illos loquatur unus *Aristides* Vir summus Athenis, qui cum ibidem viveret in magna egestate, objicientibus hanc voluntariam inopiam, scitè respondit, eos, qui pecuniam, quæ abundant, in pravos usus conferant, passim reperiri; at, qui paupertatem generosè ferant, esse paucissimos: esse autem paupertatem iis tantum dedecori, qui invitè essent pauperes. h. i.

CAPUT XII.

*De multiplici spiritali fructu Paupertatis
Religiosa.*

QUoniam Dux pauperum, & Prædicator paupertatis *CHRISTUS JESUS*, vult ejusdem esse remunerator & in tempore, & in æternitate; hinc affecurat milites suos sub paupertatis vexillo præliantes, ne imaginentur sibi, quasi gratis, id est, sine spe præmii, paupertatis ferrent & arma & onera. Proinde tam corpus pro onere, quam mentem pro spiritu paupertatis hic reficit in tempore, abundantius præmiaturus in æternitate.

Porro S. Paupertatis multiplices fructus in utroque genere enarrare, esset *S. P. N. Francisci*, qui eosdem uberrimè degustavit. Ex illius, & aliorum Sanctorum vita, exemplo, & doctrina delibabo potiores, & primò quidem spirituales.

Fructus spirituales Paupertatis religiosa.

I. Facit hominem exoneratum, & expeditum in sequendo Christum, & veniendo ad ipsum. Petrus, postquam reliquerat omnia, fidenter loquitur ad Christum: *Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait, veni.* Matth. 14. 28. Aquæ maris sunt tentationes, tribulationes, & amaritudines hujus sæculi: quas pede salcans religiosus, instar D. Petri, rectà & intrepidè

pidē venit ad Christum. Huic fructui vicinus est

II. Fiducia magna ad Christum in vita & in morte, in spiritualibus, & corporalibus necessitatibus: fundata in promissione ipsius: *Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, &c.* Matth. 19. Marc. 10. Insuper immediatē sequitur

III. Fructus, magna assecuratio animæ, quanta mortalitatis statui convenit. De qua *S. Gregor. l. 2. moral. c. 31. Magna est securitas cordis, nihil concupiscentie habere secularis.*

IV. Liberat ab infestationibus diabolicis. Nam *S. P. Franciscus* vapulat à dæmonibus, dum ultra paupertatis metam indulgebat corpori in Cardinalitia aula.

V. Genus quoddam martyrii est, tenuitatem & paupertatem eligere, dum quis poterat abundare, *S. Bernardo* attestante. Et *M. Navarrus* martyrium asserit vitam sui Cognati *S. Francisci Xaverii*, paupertatis religiosa, imò & inopiæ amatoris eximii.

VI. Alleviat navem animæ, præservans ab æternali naufragio. Nam (ut *Chron. Minor.*) religiosi multi cum libris superfluis, pecuniis illicitis, suppellectilibus excessivis, ad interni profundum non solum descendunt, sed etiam rapti sunt.

VII. Tribuit quemdam animo constanti firmitatem, & quasi immutabilitatem. Hac fultus *S. P. N. Franciscus* ingentem auri copiam à Soldano quasi obtusam repudiavit heroicè: *S. V.*

Clara

Clara oblatas à Greg. IX. divitias animo immobili aspernata fuit.

VIII. Est vice-purgatorium Christo servientium, & flammaram purgatorii aut depulsivum, aut diminutivum. Prout in annal. Minor. quidam Canonicus factus Minorita post mortem apparuit Confessario in veste pretiosissima, dicens, se hanc noctam pro pauperculo habitu, quem gestavit amanter in terris: cujus & intuitu, flammæ purgatorii fuissent sibi abbreviata.

IX. Pauperes habent jus ad regnum cælorum certius, quàm alii, immo non tantum *jus ad rem*, sed quasi *jus in re*. De quo D. Bern. serm. 4. de adventu: *In aliis virtutibus promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur. Unde & presenti tempore enuntiatum est: ipsorum est regnum cælorum; cum in ceteris dicatur: hereditabunt, consolabuntur, &c.* vel ideo, quia *regnum Dei intra vos est*, id est, pauper spiritu possidet Deum in corde suo, pro quo proinde gaudenter omnia transitoria despicit.

X. Appetitum cordis excitat & acuit ad virtutes, & cælestia dona. S. P. N. Franciscus e. 6. Regulæ: *Hæc est illa celsitudo altissima paupertatis, quæ vos clarissimos Fratres meos heredes & Reges regni cælorum instituit: pauperes rebus fecit, virtutibus autem sublimavit.*

XI. Exemplum bonum inde præbetur fidelibus spiritali ædificatione, maxime ex externæ paupertatis rigore.

XII. Est eximium genus pœnitentiæ, paupertatis rigorem sufferre: nam valde pœnale est & cor-

& corpori, & spiritui superbienti. Unde pauper & modicus *S. P. N. Franciscus* paupertatis suæ incolatum meritò continuam vocat pœnitentiam, dicens in testamento: *Dominus dedit mihi Fr. Francisco ita incipere, & facere pœnitentiam. h. i.*

XIII. Libertas consolationum cœlestium communicatarum pauperibus spiritu. De qua l. 4. revelat. c. 5. Spiritus bonus ad *S. Birgittam* ita loquitur: *S. Elisabeth Filia Regis Ungarie delicate nutrita, & nobiliter nupta, magnam sustinuit paupertatem & dejectionem. Quæ majorem consolationem obtinuit à Deo in paupertate, & sublimiorem coronam, quàm si mansisset in omni honore mundi, & ejus consolatione. h. i.* De quo plura apud *Platum* de bono status religiosi.

XIV. Gloriatio sancta liberæ mentis, supergressæ omnia terrena & caduca. De qua l. 4. revelat. c. 76. *B. V. M.* ad *S. Birgittam*: *Petrus Apostolus & alii Sancti plus in paupertate, quàm in sentibus divitiarum gloriabantur. Propterea & quò plus in eis abundabat paupertas, tantò devotio cumulatiùs augebatur. h. i.*

XV. Profectus aliarum animarum. Christus ad *S. Birgittam* c. 23. revel. extrav. *Mater meæ charissima simplicissima fuit, Petrus idiota, Franciscus rusticus: & tamen plus profecerunt animabus, quàm Magistri eloquentes; quia perfectam charitatem ad animas habuerunt. h. i.*

XVI. Paupertas amata excellenter immutat naturam hominis. Nam *S. P. N. Franciscus* paupertatis incommodis ut commodis mirè jucundabatur:

batur:

batur: immo ita eam honorabat & colebat quasi rem eximiam & divinam, vitale quid in se continentem; & cui nulla humana dignitas posset comparari.

CAPUT XII.

De aliis spiritualibus fructibus Paupertatis Religiosæ

XVII. Facit paupertas voluntaria hominem exultandum in Deo. *S. P. Franciscus* auditâ ex Evangelio paupertatis regulâ, quasi invenisset thesaurum ingentem, exultabat mirificè, *Hoc, inquit, est, quod cupio: letanter his innititur memoria commissis.* Ex Respons. Festi.

XVIII. Pauper spiritu in bonis propositis est immobilis. De *S. P. Francisco*. & sociis *S. Bonav.* c. 4. vitæ §. 1. *Insuper divina consolatione repleti statuerunt firmiter, & irrevocabiliter confirmârunt, nullius inedia aut tribulationis impulsu, à sanctæ paupertatis resilire promisso, h. i. & §. 2. Ipsa quoque rerum penuria abundans eis videbatur ubertas. h. i.*

XIX. Facit alacres ad virtutem & laborem. lc. §. 6. vitæ *S. Francisci*. *Faciebat namque S. Paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere; securi erant ubique, nullo pavore suspensæ, nulla cura distracti, &c.*

XX. Quò parcius admittit Religiosus temporale subsidium, eò fit aptius animarum instrumentum; ait *L. Pinell*. Patet in *S. Francisco Seraphico*, & *S. Francisco Xaverio*, qui arctissimam paupertatem eligentes, mirum fructum in animabus fecerunt, nil quærentes, nisi earum salutem, & Dei gloriam.

XXI. Pauper non habet, unde eum luctator diabolus teneat, & in terram dejiciat. *S. Gregor.* hinc ipsius salutis status minùs periclitatur.

XXII. Paupertas est quidem mater aliquantulum immitis & dura; at cordatos enutrit filios. *De paupertatis horreo sanctus Franciscus satiat turbam Christi famelicam, in via ne deficiat, &c.* Respons. diei Festi. Religiosi illi matrem hanc suam inhonorant, domo ejiciunt, pede calcant, alapis cædunt, qui paupertatis inimicos se ostendunt.

XXIII. Est via arcta ad cælum, sed regia. *Stulti non errant per eam.* *Isai. 35. 8.*

XXIV. Sub titulo paupertatis ordinantur etiam in opulentis monasteriis, qui alioquin sub titulo patrimonii proprii in mundo ordinari nequibant.

XXV. Ingressus securior & confidentior in regnum cælorum. Pauperes dicunt bonâ conscientia ad Christum: *Domine, jam redde, quod promissisti, quia servavimus, quod iussisti.* *B. V. M. ad S. Birgittam l. 4. revel. c. 76* *Humilitas & paupertas aut spiritualis aut corporalis, ingressus est in cælum.* *S. P. N. Franciscus pauper & nudus cupiebat mori in terra, exultans, quòd expeditus ab omnibus*

nibus

nibus liber transfret ad Christum. In octava Festi:
S. August. serm. 28. de verbis Apostoli: *Non tibi
displiceat paupertas tua: nihil ea potest ditius in-
veniri. Vis nosse, quàm locuples sit? calum emit h. i.*

XXVI. Pauperes sunt illi, qui violentet ra-
piunt regnùm cælorum, juxta verbum Christi,
ait S. Bern. in Matth. II. 12.

XXVII. Paupertas est solitudinum depo-
sitio, curæ vitæ prætereuntis privatio, itineratio
sine impedimento, fundamentum pacis, mundi-
tiæ semita. *Joannes Abbas apud Harphium Theol.
mystica l. 1. c. 63.*

XXVIII. Judiciaria potestas potiùs promissa
est pauperib⁹ à Christo (*Vos, qui reliquistis omnia,
& secuti estis me, sedebitis, Matth. 19.*) quàm mar-
tyribus, ob tres causas recensitas ab Harphiol. 1.
Theol. myst. p. 2. c. 63. I. *Ratione congruitatis;*
quia voluntaria paupertas cum debita sequela
Christi, tantùm est eorùm, qui cunctis, quæ mun-
di sunt, contemptis, soli Christo tenaciter inhæ-
rent; nec restat aliquid, quod eorùm judicium à
justitia deflectat: & sic idonei redduntur, quasi
veritatem justitiæ præ cunctis rebus diligentes.
Verumtamen nemo potest sequi Christum, nisi
contemnat omnia: ergo & se ipsum.

II. *Per modum meriti,* & correspondentiæ;
nam meritò virtuti humilitatis repertæ in pau-
perrate, quæ hominem despectum facit, corre-
spondet exaltatio, & excellentia judiciariæ pote-
statis. Et licet majus sit offerre Deo Sacrificium
de proprio corpore, sicut Martyres, vel Virgines,
quàm de rebus exterioribus, sicut voluntarii pau-
peres;

peres; tamen, quia paupertas raros invenit appetitores, hinc illis solis propter suam raritatem & eminentiam talis excellentia promittitur. Cujus spes non est pro illis, qui in paupertate aut murmurant, aut omnibus abundare volunt.

III. Quia voluntaria paupertas in progressu ad perfectionem vitæ prima ponitur inter beatitudines, velut janua totius perfectionis: quæ perfectio disponit cor humanum, ut sit edoctum omni divina veritate, in quo decreta tenentur divinæ justitiæ, ex quibus homines judicabuntur; sicut si liber, in quo continetur lex, judicare dicatur.

Hac ibi.

CAPUT XIV.

De multiplici fructu temporali, seu quasi corporali paupertatis religioſe.

PRIMUS. Paupertas voluntaria Religiosorum est lucrosa virtus. *S. Hieron. ad Pammachium: Plus accipimus, quam dedimus: parva dimisimus, & grandia possidemus, centuplicato favore Christi promissa redduntur.* h. i.

II. Prolongat ætatem; nam pauper diætam servans in potu & cibo, debitoque tempore ea sumens arcet noxios humores, seu fontes infirmitatum. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Eccli. 37. 34. *De Lugo* in resp. moral. ait, ex judicio Medicorum, vitam religiosam eb multas causas conducere vitæ prolongandæ.

III. Fovet lætitiã internam, dum & divitias,

L

& cu

& curas cum avaritia abdicat; quibus implicatur oſores paupertatis. Hinc ruſticellus quidam ſimplex & bonus, qui ad altam ſenectam pervenerat per vitæ modicitatem; poſt oblataſ autem ſibi à Paulo III. pecuniam ad fomentum ſenectutis ſuæ, timebat ſibi, & læritiam, & vitam inde abbreviandam.

IV. Tollit multiplicem cordis corroſionem & anxietatem. Hinc veriffimè dixit *Sigismundus Imperator*, propriâ experientiâ convictus, quod *pecunia inordinatus amor ſit animi carnifex.*

V. Confert aliquod quaſi dominium rerum temporalium, in tantum, in quantum voluntariè pro Chriſto pauper ſperat per Dei providentiam provisionem ex iis omnibus, quæ ſuis neceſſitatibus ſublevandis Deo viſa fuerint conducere. Hoſ meritò conſolatur Apoſtolus 1. Cor. 3. 22. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, &c. Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* 2. Cor. 6. 10. *S. Bern. Pauper dimittit omnia, & recipit omnia.* Si tamen faciat, quod ſcriptum eſt in figura Levit. 1. 8. *Offeretis caput, & cuncta, quæ adherent jecori:* id eſt, voluntatem propriam, quæ caput eſt in omnibus holocauſtis, & omne quod ab eo amari aut deſiderari poteſt; tunc eo ipſo Chriſtus, qui eſt caput omnium fidelium, curam pro illo geret, allocuturus corda hominum benefacere volentium, hiſ verbis olim ſuis: *Date vos illis manducare.* Matth. 14. 16.

VI. Viliora dimiſit, meliora recipit. *Petrus Damiani* in ſerm. de S. Columba ex Genef. 2. 21. *Tulit unam de coſtiſ ejus, & replevit carnem pro ea.*

ea. Ostulit, & carnem reddit, id est, melius pro viliore. NB. Pecuniosi vocant pecunias ossa sua.

VIII. Sufficiens temporalis subsidii suppetentia. Matth. 6. 33. *Quærite primum regnum cælorum, & iustitiam eius: & hæc omnia adjicientur vobis.* Isai. 14. 30. *Pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent.* Vide libr. 1. de fructibus communitatis religiosæ.

IX. Contentamentum cordis in bona tranquillitate. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. 8. Devoti Belgæ sic cantant:

Lieven Heer / Kost / en Kleer /
Het Hemelryck / en dan niet meer.

X. Pauperi voluntario & virtuoso quisque compatitur. Et hæc est miseræ non modica sublevatio cordialis compassio: dat enim quasi partem cordis sui alteri patienti, seu egenti. S. Gregor. Papa.

XI. Subventio corporalis per alios facta. De qua B. V. M. ad S. Birgittam l. 4. revel. c. 76. *Deus ostendere volens, quod non paupertas Petri, nec aliorum Sanctorum coacta erat, sed spontanea, ideo incitabat animos multorum ad largiendum eis.* h. i.

XII. Aviditatem nocivam præscindit, satians cor pauperis, & contentans. Et hoc est magnum bonum corporis & animæ, quod pauperem facit divite feliciorum. L. 6. revel. c. 30. S. Birgittæ

ait Christus: *Ille est verus Frater, qui nihil desiderat nisi Deum, & novit necessariis contentari: qui me Deum factum carnem fratrem suum agnoscit, & diligit ut fratrem, &c.* Vide plura apud *Platum* de lætitia corporali licita Religiosorum. *Luc. Pinell.* l. de perfect. *Voluntaria paupertas contentat cor: sæculi autem cupiditas irritat appetitum ejus.* h. i.

XIII. Utilitas magna paupertatis. De qua *S. Teresa* l. de perfect. vitæ c. 2. *Credite mihi sorores meæ --- magna est utilitas paupertatis, quæ omnes consolationes, quotquot sunt in mundo complectitur, habere dominium omnium (Et loquor id, identidem repetens) divitiarum. Quod quilibet fatebitur, qui de illis nihil curat.* h. i.

NB. Loquitur hic *Seraphica Virgo* non de dominio possessionis, sed de dominio abdicationis, seu abjectionis, vel potius aspernationis, quò dicitur quis dominus rei, cui non vult subjici, non cedere, nec servus fieri, &c.

XIV. Pauper voluntarius quiescit meliùs, dormit securiùs, surgit alacriùs, laborat fideliùs, comedit sapidiùs, securus à furibus. Ita *Luc. Pinell.* *Voluntariè pauper mundum illudit: avarus dives à mundo illuditur.* *Macarius Alexandrinus.*

XV. Itinerans ubique paratum apud Religiosos invenit hospitium; in quo ex charitate ei melius apponitur, promptiùs servitur, obsequium gratis impenditur ex majori sinceritate animi, quàm magnis divitibus pretium offerentibus. Quos alloquens paupertatis amator *S. Franciscus*

c. 7. vit. §. 9. exprobrat: *Ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris, quam in Domino confiditis, Muscas nempe denarios vocavit.* h. i. Regula S. *Benedicti* jubet mensam Abbatis semper debere esse cum hospiti- bus, maximè pauperibus & Religiosis (*nam divitum terror sibi ipsi sumit honorem.*) *Luc. Pinell.* plura de his scribit, uti & *Antonius Sucquet. Soc. Jesu.*

XVI. Quia in senibus non semper senescit, sed saepe crescit sapientia, & bona voluntas, plura faciendi pro gloria Dei, animarum salute, Religionis provectu; hinc tales amplius in Religione amantur, & foventur, intuitu bonorum quæ fecerunt. Egrotantibus mox præsto adest Medicus: de morte admonentur, uti & præparatione ad illam: securius moriuntur: Anima in corona Fratrum Deo recomendatur. Et, dum infirmus est, ejus officium & onera ab aliis suppleantur; ita ut propter infirmum, occupationes religiosæ, & disciplina regularis in nullo detrimentum patiantur. Tandem, postquam in hoc sæculo centuplum corporaliter & spiritaliter receperunt, in futuro vitam æternam possidebunt cum omnibus spiritu pauperibus, hereditibus regni.

XVII. Ergo stulti, & irridendi, qui irrident pauperes, in hoc sapientes, quia nihil habentes, & omnia possidentes. *Nos autem vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce, quomodo computati sunt inter Filios Dei! Sap. s. 4.*

XVIII. Regula Magistric. 21. sic consolatur pauperes religiosos. *Eum verò certissimè sciatis, plura à Domino recipere, quàm contempsit, cùm Dominum sibi fecit, quem secutus est, debitorem: quid illi sufficit, cui ipse Dominus non sufficit? De pauperibus religiosis à Deo benedicendis meritò verificatur illud Prov. 13. Est quasi dives, cum nihil habeat, & est quasi pauper, cùm in multis divitiis sit.*

CAPUT XV.

De aliquibus nocentibus obstantibus Religiosè Paupertati, &c.

Q. 1. An flaccescere, vel deperire incipiat status religiosus per paupertatis contemptum.

R. 1. *Affirm.* Idque fit pedetentim eo modo, quo dixit Christus *S. Birgittæ* l. 7. *revelat. c. 26.* his formalibus: Sicut *S. Franciscus* vult multos trahere de mundo cum sua humili obedientia, ad recipiendum magna præmia in cælo, ita adversarius hujus Regulæ multos de Ordine ejusdem *S. Francisci* trahet de humilitate ad superbiam, de rationabili paupertate ad cupiditatem, de vera obedientia ad faciendum propriam voluntatem, & ad sequendum corporis delectationem. Cùm intravit Ordinem, per varias simulationes & hypocriticas actiones simulabit se sanctum, ut aliorum favorem lucretur, scientias addiscet, ut apud alios honorem sibi conquirit. Et insuper dicet: *Ego secundum dictam Regulam non possum licitè pecu-*

pecuniam tangere, neque aurum, vel argentum possidere, & ideo aliquem specialem amicum habere volo, qui pecuniam & aurum meum teneat secretè secum ex parte mea, ut illa pecunia utar ego ad voluntatem meam.-- Verè est ita, quòd plures sunt illi fratres in mundo, qui tenent aut opere, aut voluntate, aut desiderio, regulam, quam diabolus docuit, quàm illi, qui servant Regulam illam, quam ego ipse docui Fratrem Franciscum. h. i. Subdit Christus, loquens S. Birgitta.

Sciastamen, quòd, quamvis isti Fratres scil. Francisci, & ejus adversarii commixti sunt, quamdiu vivunt in mundo; attamen ego separabo eos post mortem, quia Judex eorum sum, & judicabo Fratres Regulæ Francisci ad permanendum mecum simul cum Francisco in æterno gaudio. Illi autem, qui sunt de regula fratris adversarii, judicabuntur ad pœnas æternales in profundo inferni, si ante mortem se noluerint corrigere, & humiliter emendare. h. i. Subditur:

Nec est mirandum de hoc, quia illi, qui deberent mundanis hominibus dare humilitatis & sanctitatis exempla, ipsi præbent eis exempla vilia, & ribalditia cum sua cupiditate, & superbia. Et ideo certissimè sciant dicti fratres, quòd tam ipsi, quàm ceteri religiosi, quibus Regula prohibet habere proprium, & tamen habent aliquod proprium contra Regulam suam. NB. Volentes per hoc me placare, quòd inde aliquam partem mihi conferunt, eorum munera abominabilia

sunt mihi, & exosa, nec aliqua remuneratione bona sunt digna.

NB. Magis enim mihi gratum, & placitum est, quod paupertatem beatam, quam professi sunt, secundum Regulas suas diligenter observent, quam quod totum aurum & argentum, ac etiam omnia metalla, quae in mundo sunt, mihi presentarent. h. i.

R. 2. Multum laudanda est Societas IESU ob hoc, quod in ea professi trium aut quatuor votorum voto adstringuntur non consentiendi relaxationi paupertatis, juxta eorum constitutiones ab ipsis promissae. Utinam tale votum etiam ab aliis congrue posset emitti!

Q. 2. Quantum displiceat Christo nimia cupiditas monialium, & fuga paupertatis.

Respondet Christus S. Birgitta l. 6. revel. c. 99. his verbis: Aethiops apparebat inter moniales cum habitu monialium, ipse est daemone cupiditatis, qui suadet eis aggregare possessiones, & castra, & plures divitias, ut ex illis lautius vivant, & distribuunt largas eleemosynas, ut sub tali religiosa specie recedentes a paupertate mihi grata, dissolvantur paulatim, donec praevaticantes Regulam, & priorem observantiam, perdant animas. Ideo scito, quod, nisi vigilanter caveant ab isto lupo cupiditatis, scilicet contentando se de his, quae habent, & nihil plus volendo accrescere in possessionibus, & terrenis divitiis, inficientur ab eo etiam sanae oves istius gregis damnabiliter, & postea a lupis dilaniabuntur immisericorditer.

NB. Magis enim mihi placet, quod in paupertate quieta

quieta, & sancta, quam profitebantur, vivant, & contententur, quam quod terrena cura regiminis temporalium implicantes se, de distributione eleemosynarum bonorum aliorum inaniter gloriantur. *Hec ibi.*

Q. 3. Quid de Monachis paupertatis rigorem fugientibus senserint SS. PP. Hieronymus & Bernardus.

R. 1. Quod viliter sentiant de talibus S. Hieron. Epist. ad Nepotianum ita conqueritur: Nonnulli sunt ditiores Monachi, quam fuerant ante seculares: qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallaci diabolo habere non poterant. Natus in paupere domo, & in gurgine rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem satiare ventrem poteram, nunc simillam & mella fastidio. &c. h. i.

R. 2. S. Bern. homil. 4. super missus est ita invehitur contra illos. Video quiddam, quod sine dolore videri non debet, post aggressam Christi militiam rursus implicari secularibus, rursus terrenis cupiditatibus immergi: sed contra sui Imperatoris dictum, concupiscere aliena, & sua cum lite repetere: ita nec se mundo, nec sibi mundum crucifixerunt. h. i.

Q. 4. Ex quibus eluceat Religiosorum cupiditas opposita paupertati.

R. Quod ex tribus, scilicet 1. nimis affici ad res viles, 2. Contendere de illis retinendis. 3. Nimis sollicitum esse de futuris. De his tribus accipe tres auctoritates.

Prima est Danielis Abbatis sic loquentis apud

L §

Caf-

Cassianum collat. 4. c. ult. Vitium avaritiae, & cupiditatis, quod erga species pretiosas exercere non possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed commutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia de vincti diligentia erga curam psithii, sportelle, codicis, matre, aliarumque similibus rerum quamvis vilissimarum, eadem tamen, qua ante libidine detinentur. h. i.

Secunda est ejusdem Cassian. collat. 1. c. 6. Plerique nonnulli tanto zelo codicem servant, ut eum ne leniter legi quidem, vel contingi ab aliquo patiantur. Cumque omnes divitias suas pro Christi amore disperferint, pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retinentes &c. Euseb. Emiffen. homil. 5. ad Monach. Inde est, quod de rebus pravissimis interdum excitamur, & pro vilium rerum appetitu vilissimas contentiones movemus. Et inter hac quomodo exultat adversarius noster, quando nos videt maxima contempsisse, ut in minimis deformius vinceremur. &c.

Tercia est Abbatis Piamonis apud Cassian. collat. 18. c. 8. Isti vero non solum in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatio infidelem sollicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus, atque indumentorum sufficientiam praeberere eis aut non possit, aut nolit.
h. i.

CAPUT XVI.

De Excessu cultus vestimentorum, contra paupertatis religioſe decentiam.

Q. 1. An Religioſum ſive Ordinis Mendicantium, ſive non mendicantium deceat, & ornet veſtimentorum vilitas.

R. affirm. Proinde decenſeſt portare habitum vilem (niſi aliud Regula, vel Conſtitutiones alicujus Ordinis exigant, v. g. pro renata, portare nitidiorẽ habitum, dum foras eundum, prout in Regula *S. Benedicti*.) Ex hujus Regula patet reſponſionis veritas: nam c. 55. ita habet: *De quarum rerum omnium colore, aut groſſitudine non cauſentur Monachi; ſed quales inveniri poſſunt in Provincia, qua habitant, aut quod vilius comparari poteſt. h. i.* (Regulæ *S. Benedicti* hoc teſtimonium approbationis dat *S. Papa Gregorius Magnus*, quod ſit ſermone luculenta, & diſcretione præcipua. h. i.) Et *S. P. Franciſcus* in Regula c. 2. *Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur &c.*

R. 2. Ut veſtes Religioſorum non degenerent à religioſa paupertate; de iis ita ſcribit *Bloſius* in *Spec. Monach.* pag 851. *In veſtitu, & in vietu ſobrius eſto. Quidquid monaſtica ſimplicitati contrarium eſt, id prorsus rejice, conſpue, & deteſtare. Neque vaniſſimos quosdam infeliciffimosque Fratres imitatu fueris, quos ſui ſtatus pudet, & ſuæ iniquitatis non pudet. Si quando egredi, vel ad*

con-

conspectum secularium venire debuerint, videas
 eos ad inepta curiosaque prouere: tales & tales ve-
 stes, sic & aptatas tunicas induere velle. Amictum
 cum regulari mandato, & Patrum ordinationi-
 bus convenientem gestare erubescunt. Dumque
 non ut humiles Monachi, sed ut delicati, venustique
 aulici prodeunt prodigioso spectaculo prudentes qui-
 dem homines ad mœrorem & indignationem, Dia-
 bolum verò ad risum & cachinnos provocant; evi-
 denter hac absurditate declarantes, quales intus
 sint, nempe superbi, molles, & vanagloria pleni. O
 Monachos à vera religione nimis alienos! ô Mona-
 chos! ô Monachos! ô Monachos demoniacos! hocci-
 ne est, quod Deo promiserunt, quando per sacra-
 tissimum votum paupertatis, mundo, omnibusque
 ejus pompis & vanitatibus solemniter renuntiave-
 runt? hocci ne est, quod Rex regum verbo docuit?
 hocci ne est, quod exemplo monstravit, quando
 panniculis vilibus praesepe habuit pro cunabulis?
 quando item veste alba, & chlamyde purpurea in
 opprobrium vestitus fuit? hocci ne est sequi JE-
 SUM? hocci ne est inherere vestigiis JESU? O con-
 fusionem intolerabilem! ô insaniam extremam! hæc
 ibi. Interim paupertas religiosa habet suos gradus
 latitudinis, intra quos plus licet in una Religione,
 quàm in altera; item ubi est laxior, quàm ubi
 permansit in rigore. Et ita docet *H. Casal.* Cum
 quo stat, quòd plurimùm laudandus sit Religio-
 sus ille, qui in paschate utitur eadem veste, quæ
 in parasceve. Attamen vestes internæ si sint mu-
 tatorie, decent Religiosum quemlibet. Et hæc
 non vanitas sed pia singularitas, & sancta curio-
 sitas est.

Q. 2. Qualiter carpendi sint Religiosi, in vestitium cultu paupertatem negligentes, vel superabientes.

R. 1. Vehementi animadversione contra eos invehitur *Laurent. Peyr.* Tom. 1. q. 2. c. 3. ante finem, dum sic eos adoritur. Videbis quandoque Religiosos (ad Minimos loquor) gestantes habitus nitidos, tinctos, subpraloplicatos, ex panno magni pretii, seipsos aspicientes, à planta pedis ad verticem capitis, oculos semper gyrantes, & regyrantes, gaudentes ab aliis videri, passus gravi incedentes, & inde se graves & magnum quid esse existimantes. O vanitas vanitatum! ô vanitas intolerabilis! ô Religionis dedecus! ô Religiosorum improprium! ô detestabilis insania! hoc cine est, Minime, quod te docuit S. P. Franciscus? hoc cine est, quod tibi mandatur in Regula, ut ex panno vili & abjecto absque tinctura contexto vestiaris? Hac fides, quam dedisti in professione, te Regulam servaturum? O infidelis homo! hoc pacto servas promissa? an nescis fidem esse dictorum factorumque constantiam, & veritatem? sed scito, quod frangenti fidem fides non servabitur. Pergit:

Heu! heu! Minime, considera nomen tuum: vide Fundatorem tuum: aspice habitum tuum: & cognosces, omnia tibi humilitatem protestari. Quid minus Minimo? & tu in Minimo videri vis maximus? quid humilius humillimo Fundatore tuo? & tu per viam superbiae eum vis insequi? quid terra, ex cuius colore habitum gestas infimius? & tu sublimior omnibus vis apparere? -- Heu! heu! Frater mi, considera statum tuum; vide Religionem tuam:

tuam:

tuam: aspice Institutorem tuum: sciasque, non esse ornamentum virile concinnitatem. Et nota illud Eccl. 19. amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. Et S. Bonav. in Spec: dilcipl. 1. p. c. 8. ait: Mollia vestimenta animi mollietatem indicant; nam molles mollia querunt.

Una tibi cella sit, eaque simplicitatem oleat religiosam. -- Convincitur Deum non amare, qui amat ea, quae ipsum scit velle odisse. Linque, linque Frater mi haec Idolatria NB. linque superflua, esto necessariis contentus, quibus devoti, & observantes tui Ordinis utuntur. Hucusque doctrinaliter praecit. Author.

Respondet 2. S. Bern, in apolog. contra Guilielm. queritur ad induendum non quod utilius sed quod subtilius invenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat: non denique, juxta Regulam, quod vilis comparari potest, sed quod venustius immo vanius ostentari. Heu me miserum qualemcumque Monachum, cur adhuc vivo videre ad id devenisse Ordinem nostrum? &c.

Q. 3. An, & quando Religiosus habens superflua excusetur à peccato; NB. Sequens responsio remittitur ad lectoris pii iudicium.

Respondet 1. Laur. Peyr. Tom. 1. de subdito q. 2. c. 2. §. 1. ubi ex Sanchez in Decalogum à se citato inquit ita: Colligitur 10. qualiter Religiosi habentes amplissimos redditus possint hac superfluitatis culpa liberari. Primò enim possunt liberari, quòd ratione dignitatis personæ, pluribus egeant. Vel secundò, quando Regula posset dici relaxata

relaxata

relaxata (sed an licite) & paupertas eo modo intellecta, prævaluissetq; jam consuetudo. Vel *tertiò*, quia pars illorū reddituum ab ipsis expenditur in bonū Conventus, vel in pias operas. Vel tandem, quia Religiosus ille multa sua industria comparavit: unde æquum est, ut illi plura concedantur. *hac ille.*

Respondet idem secundo, l. c. §. 9. Nec similiter putarem peccare mortaliter Religiosum, qui haberet multa superflua non quoad Statum Religiosum, sed quoad personam propriam de licentia Prælati, paratus ad illius nutum omnia relinquere, v. g. si haberet tres habitus, cum duo sint satis; decem Camisias, cum 4. aut 5. essent illi sufficientes &c. præsertim si consumtis necessariis, non haberet, unde de aliis sibi provideret. NB. Quod tamen etiam est limitandum, nisi alii, aut aliquis aliorum Religiosorum necessariò aliqua istarum rerum indigerent; nam tunc teneretur confratri suo de his, quæ sibi superflua sunt, providere. Attendenda tamen in his semper est qualitas personæ, & religionis usus. *Hac ille.*

Respondet idē tertio § sequitur secundo. Quòd religiosus de licentia Prælati utens rebus Monasterii ita abundanter, ut alii ea de causa egeant, graviter peccat; quia fit aliis injuria, cum bona communitalis pro indigentibus communia sint. Et tantus potest esse excessus, & luxus, ut culpa sit mortalis tam in dispensato, quam in dispensante. Congruum enim non est, ut alius esuriat, alius ebrius sit (*ut ait Apostolus*) sed tenetur Prælatus fideliter & rationabiliter dispensare. *hac ille.*

Q. 40

Q. 4. Quænam destruant Religionem. R. ex Gulielmo in summa virtutum & vit. Tom. 2. §. ante penult. Tria sunt, quæ solent Religionem destruere. 1. preceptorum nimietas. 2. particularium singularitas. 3. amor temporalium. Ecce singularitas, & amor temporalium, quæ ex peculiis. h. i.

*Q. 5. An vivere sine proprio sit vivere in paupertate. R. affirm. pro casu, in quo aliquis sponte elegit sine proprio esse in re & in spe (aliqui etiam multi pauperes ex fortunæ invidia nil habent proprium.) In hoc sensu locutus fuit Urbanus I. in epist. de paupertate, dum inquit: *Quicumque vestrum vitam communem suscepit, & vovit se nihil proprium habere, videat, ne pollicitationem suam irritam faciat.* h. i. Et in nostra Regula dicitur in c. 1. *Regula Fratrum Minorum hæc est, scil. Domini nostri Jesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* h. i.*

CAP. XVII.

De Religiosa Paupertatis alphabeto.

Q. 1. Quid sit alphabetum encomiorum paupertatis Religiosæ.

R. Ex Laurent. Peyrinis, quòd sequens plurima ejus encomia per ordinem literarum alphabeticum complectitur.

Sancta Paupertas est

Angelis, & hominibus venerabilis. Kempis de 3. tabernac. c. 1. n. 14.

Basis

- Basis evangelicæ perfectionis. *Matth. 19.*
 Castitatis fomentum. *Alvaretz de vit. spirit.*
 Decor vestimentorum. *S. Bonav. in dieta salut.*
 Ædificii spiritualis primarium fundamentum. *S. Bonav. Regul. Novit.*
 Foramen acus, per quod gibbosus camelus non transit. *Matth. 19.*
 Gymnasium sapientiæ. *Chrysof. in Matth.*
 Humilitatis custodia. *Sanctus Pater Franciscus, & S. Gregorius.*
 Judiciariæ potestatis magnificentum præmium. *Matth. 19.*
 Karitatis nutrimentum. *S. Bonav. in epist.*
 Liliū redolens. *Iustinianus in ligno vita.*
 Margarita nitens. *S. Franciscus, S. Bonav.*
 Nutrix virtutum. *S. Ambrosius.*
 Orationis incitamentum. *in Orat. Dom.*
 Portus traquillus. *S. Chrysof. Portio in terra viventium, Regula S. P. Francisci.*
 Quies mentis. *S. Bonav. in dieta sal.*
 Religionis murus. *Constit. Soc. Jesu.*
 Seminarium omnium virtutum. *Theophylactus.*
 Tutum asylum. *Chrysof.*
 Via ad perfectionem. *D. Thom.*
 Christi imitatio. *Luc. 2.*

Q. 2. Ex quibus Ordo Mendicantium subinde vilescat apud sæculares.

R. 1. Quòd ex duobus generalibus principiis, scil. ex defectu subditorum, & negligentia Prælatorum. De quibus *S. Bonav.* in epist. ad ministros Prov. sic inquit: *Sanè cùm evangelici cul- minis observata perfectio hætenus spectabiles & a-*

M

mabi-

mabiles nos mundo reddiderit, omnique favore & reverentia dignos; ecce, jam nunc multitudine in procliva tendente, & remissiùs agentibus his, qui præsunt, vitiorum quadam sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc venerandumque Collegium despicabile & onerosum reddunt, populis convertunt in scandalum, quod cunctis esse debuerat in exemplum.-- Sicque fit divini permissione iudicii, ut spernentes modica in maxima decidant: quia, cum disciplina negligitur, insolentia crescunt; ac per hoc interior negligentia circa exercitacionem virtutum, exterius procedit in scandalum, per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit, ut sancta Religionis splendor præfulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bona opinionis odor computreat, & nomen Domini blasphemetur &c. h. i.

R. 2. Ex eodem ibid. Quoniam paupertas est nostra Religionis prerogativa sublimis; ne nobilis hæc margarita conculcanda porcis viliter exponatur, discursuum causam, & questuum sumptuositatem scilicet edificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum sic studeas amputare, quòd à professionis excellentia vita observantia non discordet.-- simulque seculo toti clarescat, quòd non commodare rerum, sed lucrum queramus animarum. &c. h. i.

R. 3. Ex eodem in alia epist. ad Ministros Prov. & Custodes de reformandis Fratribus sui Ordinis. Sanè perquirenti mihi causas, cur nostri splendor Ordinis quodammodo obscuretur, Ordo exterius

inficiatur ; & nitor conscientiarum interius defædetur ; occurrit negotiorum multiplicias ; - qua pecunia avidè petitur , incautè recipitur , & incautiùs contrectatur. Occurrit quorundam Fratrum otiositas , quæ sentina est omnium vitiorum , quâ plurimi consopiti , monstruosum quemdam statum inter contemplativam & activam eligentes , non tam carnaliter , quàm crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum , importuna petitio , multiplicatio familiaritatum , improvida officiorum commissio , quæ Fratribus nondum usquequaque probatis , nec carne maceratis , nec spiritu roboratis imponuntur vix portanda. Occurrit mutatio locorum frequens -- & cum Fratres paucis nolint esse contenti , & charitas hominû refriguerit , facti sumus omnibus onerosi , magisque stemus in posterum , nisi remedium celeriter opponatur. h. i.

Q. 3. Qualiter per discretionem paupertatis rigorem moderari oporteat,

R. 1. Cum S. Bern. serm. 19. cant. Vos qui nuper venistis , tangit spiritalis sermo : vestram illam (quam & nos frequenter reprimere conati sumus) minùs discretam vehementiam , immò intemperantiam prorsus nimium obstinatam redarguens. Non sufficit vobis regulare jejunium , non solemnes vigilia , non imposita disciplina , non mensura , quam vobis partimur in vestimentis & alimentis : privata præfertis communibus. h. i.

Ecce ! quomodo obedientia contemnitur ob particulares cum excessu virtutes. Cùm autem hic & in sequentibus dico , debere Fratres con-

tentos esse vita monastica communi; intelligo in
iis, in quibus vita communis depravata non est,
sed in suo vigore, & puritate perdurat (*ut ait
Laur. Portell.*) Tales indiscreti (*ait idem*) ali-
quando retrocedentes peiores fiunt, & majori
cum libertate vitiis indulgent; eo namque modo,
quô aqua repressa, si aditum inveniat, majori im-
petu fluit. Et quo vinum fuit melius, si acefcatur,
fit acrius acetum, quàm ex vino ordinario. h. i.

R. 2. ex eodem S. Bern. in parvis sententiis: *Si
vis agere pœnitentiam, castigare, ut oportet, mem-
bra corporis affligere, iudicare temetipsum, ut non
incidas in manus Dei viventis, iustum id quidem,
sed ne quid nimis. Alioquin reprimendus est fervor
immoderatus, ne noceat unitati, serviat indiscre-
tioni. h. i.*

Q. 4. Quid sentiendum de pauperibus Reli-
giotis irreligiosis.

Respondet S. Bonav. in 5ta ala Seraphimi. *Melius
est ibi Religiosos non esse, ubi non possunt vel non vo-
lunt vivere ut Religiosi: quia tunc nec ipsi pereunt,
nec alii de ipsis scandalizantur. h. i.*

Q. 5. Qui & quot sint actus proprietatis potio-
res. R. Ex constit. Urbanis in c. 7. Regulæ, quod sint
sequentes.

I. *Quicumque propria auctoritate assumpserit
in usum sibi vel aliis, specialem rem communem a-
liis Fratribus, puta libros, vestes &c. contra vo-
luntatem expressam, vel probabilem sui Superio-
ris.*

II. *Qui res aliquas Prelato petenti & visitanti
celat, vel claves earum abscondit, vel retinet, ne*

Pre-

Prelatus tollat, & ne ad libitum de illis disponat.

III. Qui contra voluntatem sui Prelati coram eo cum aliquo Fratre de re aliqua sibi approprianda contendit: aut qui in cella aliqua, vel in particulari Conventu permansere procurat.

IV. Qui domus & possessiones proprio nomine, & propria auctoritate alteri locat, & illorum fructus, census, vel canones expetit, vel recipit.

V. Quicumque res superfluas, vel curiosas, & pecuniam ipsam apud se habuerit, usque utatur, etiam de voluntate & permissione Palati.

VI. Quicumque alienaverit, vel disposuerit propria auctoritate de re sibi concessa, vel à se quocumque modo acquisita.

VII. Qui contra ius vel schedulam fecerit, in quibus se aliquid dare teneri, vel sibi ab alio deberi consueatur.

VIII. Quicumque absque Prelati consensu & assensu, res sibi concessas, vel non concessas apud seculares reposuerint, & custodierint.

IX. Quicumque in lacro mercatura cujuscumque generis, sive possessionum, sive animalium, sive mercium, omnis generis partem habuerit.

X. Si quis Superior concedat, & subditus teneat bona stabilia ad usum, usumfructum, administrationem, vel commendam, etiam nomine Conventus.

Proprietas in quatuor ultimis gradibus reservatur Custodi in foro pœnitentiæ.

Si quis plura, scholasticò modò proposita & resoluta scire desideret de obligationibus religiosorum ratione voti paupertatis, legat Theologos scholasticos, Moralistas, Ascetas, v. g. Al-

fonsum Rodericium, aliosque & maximè *Antonium à Spiritu S.* Discalceatum Tract. 3. D. 4. sect. 1. & sequentibus. Qui fortè nonnullis videbitur nimis liberaliter loqui in favorem peculiaristarum, in Ordinibus illis, in quibus non est exacta vita communis. Scopus præsentis hujus operis non est, casus decidere, sed paupertatis, utpote evangelicæ margaritæ encomia deprædicare, eamque omnibus Patribus & Fratibus Provinciæ nostræ ut amabilem recommendare, ne (quamquam id Seneca dixerit) sit illis *odibile bonum*. Non sit odibile, sed amabile bonum. *Nam Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* Matth. 5. Plurimum laudandus, Sanctoque P. N. *Francisco* amabilis Frater Minor ille, qui circa observantiam voti *S. Paupertatis* est valde punctualiter conscientiosus, & æquè, ac circa observantiam voti castitatis cautus, providus, ac circumspectus: nam æqualiter ad istam, sicut & ad hanc obligantur solemnes professores. Immo Superiores tenentur habere sollicitiorem curam, & inspectionem circa observantiam voti paupertatis, quàm aliorum; eò quòd major irregularitas ex hujus continuato neglectu in Ordinem redundet; hicque plures consequentias reales post se trahat. Deinde, quia quòd plùs latenter, eò faciliùs & periculosiùs sub neglecto voto paupertatis (quantumvis in minutis, ut apparere potest) ingreditur animarum adversarius, à minutis ad majora, à rimula ad ingentem rupturam, à guttula ad oceanum fallacias suas deducens, & malitias dilatans; dum tamen interim

pec-

peccata contra alia Regularia vota non possunt ita irrepere, aut consuetudine tolerari, eò quòd si aperta sint, statim puniantur, & in initio decapitentur, ne possint succrescere, aut peiori consuetudine radicari. Quod ne fiat, Confratres meos, omesque alios, in eodem sensu, pro eadem sententia, ex eodem spiritu mecum sentientes hujus libri lectores alloquor, librumque hunc, quem ex charitate incepti, in charitate finieas, cum *S. Bern.* in apolog. ad Guiliel. Abbatem

Concludo.

Hac est nostra de nostro, & de vestro Ordine sententia: hacce nostris & vestris, hac non de vobis, sed vobis me solere dicere, nullus melius mihi testis erit quàm vos, & si quis me novit, sicut vos. Quae in vestris laudabilia sunt, laudo & praedico: si quae reprehendenda sunt, ut emendentur, vobis & aliis amicis meis suadere soleo: hoc non est detractio, sed attractio. Valete in Domino charissimi.



in me
ipse es
sque re
Et tu pax
imple igitur
Et vigeat
dit laus atq3
Cultu te colimus,

dis Deus! ecce
dum: daq3
daris con dia
da bear
dum, vis tibi da dar
dao **IPHS** et pra dia pac
di pace ona di
tibi si gloria sol
de, pio q3 gen

accipe, quae
Virgo
tibi, quod
Pater amor
te, quam
Pepperio, et
ntra igitur Virgo
Duce, et amore tuis

habet, quae fert respice dom
dum que unde mit
di con di ex de sacratu
dum sint tibi da sacr
adit **MRA** in de salute
di gestio da dar
hoc di vite con
dibus adde me

ponsus es atq3 de
ESVM
utinam di
sed plorē
si aquia es de
Patronus
ora, quā franget
Caelo appropera,

Josephe in de Maria
dum tice di ame
pus non ruat ultr
crimina de di
de **IPH** de rabere Laur
dis, de pre, esto me
monde in clyte Davi
animumq3 be



JESU, MARIA, JOSEPH,

Vestris SS. Nominibus, & ominibus, sacratissimisque Cordibus submississimè flecto genua cum toto Grege Seraphico Colonienſis Provinciæ, deferens, offerens, & projiciens ante faciem vestram *ararium, peculium, depositum*, & quicquid humanæ cupiditati potest esse charum; de quibus præſens ager Tractatus. Immo tot *peculia*, quot *corda* vestris *sanctissimis Cordibus*, tamquam uni & communi sacro *arario* infero unienda, incorporanda, commiscenda, confundenda, eliquanda, absorbenda, simul & renovanda.

De hoc eodem sacro Cordium vestrorum *arario* confidenter dico cum Apostolo: *Scio, cui credidi: & certus sum, quia potens est depositum meum servare.* 2. Tim. 1. 12. Hinc totam Provinciam nostram vobis ut *depositum* carum concredo, fido, ac viscerosè recomendo precator quamvis indignus. Omnium corda nostra circumvolant splendorem SS. Nominum vestrorum, ut cæcutientes de nocte muscæ circum ardentem lucernam: quas tamen in hoc non imitabimur, quod illæ involantes subinde incautè adurant alas suas; quia alia intentione ad vos convolamus, ut scilicet crescant nobis spirituales alæ: vel, sit ut sit; amittamus illas, ita tamen, ut exurantur, & absorbeantur à SS. ardore cordium vestrorum, & ut vi illorum in alias transferantur creaturas.

M s

Vestra

Vestra virtute operante gloriemur, ut dicamus: cor nostrum dilatatum est, nam *Jesus* attraxit: cor nostrum immutatum est, nam *Maria* intercessit: cor nostrum renovatum est, nam *Joseph* *Vir justus* manu tenuit. Obinde *meum, eum, suum, frigidum illud verbum* ex nunc ardore cordium vestrorum, ut speramus, ita absumetur, ut nobis vobiscum sit posthac una sancta communitas, cum quibus speramus, ut sit nobis obventura una communis hereditas. Vos lumen inhabitatis, nobis adhuc quidem nunc inaccessiblei ideo, quia terrea pondera portamus, quibus & mentales oculi sæpe obfuscantur: at in lumine vestro videbimus tandem sanctum illud Lumen: quod dum nunc aspicere conamur, instar illius, qui mediâ meridie Solem ardentem aspicere molitur, lacrymamur, utpote considerantes nostram in perfectione orbitatem, in dilectione infirmitatem, in vestri sequela tarditatem. Vos erigite corda, accendite desideria: suppeditate conatus, inflammate affectus, & terrena *peculia* convertite in sancta vobis concedenda *deposita*. Ita favete Gregi Seraphici *P. N. Francisci*, Vos, qui estis decora mundi, gloria cæli, fulcimina nostræ spei,

JESUS, MARIA, JOSEPH.

LIBER

1 M